Compliments of

NAGAYO SENSAI,

Director of the Central Sanitary Bureau

Home Department.

PHARMACOPOEA

JAPONICA.

EDITIO LATINA.

TOKYO.
ANNO XIX MEIJI (1886).

PRAEFATIO.

Exeunte anno tertio decimo Meiji (1880) iis, qui rei publicae Japonicae praesunt, placuit, ut pharmacopoea huic imperio propria conscriberetur; quem ad finem ab iis, quibus cura rerum domesticarum tradita est, septendecim viri delecti sunt, qui initio anni quarti decimi Meiji (1881) primum convenerunt. Qui viri cum de principiis fundamentisque pharmacopoeae prima consilia habuissent necnon de medicamentis recipiendis decrevissent, ex suo numero iterum elegerunt, qui ipsam pharmacopoeam in lingua Germanica quippe plurimis sociorum intellecta conscriberent et interim translationem Japonicam pararent. Contextum Japonicum autem postea omnes conjuncti constituerunt, praesertim cum difficilius videretur, nomina in litteris artibusque usitata

verbis aptis Japonicis reddere. Jam ex iis, quae septendecim illi viri deliberantes constituerant, eas regulas, quae et maioris momenti videntur et in pharmacopoea conscripta praecipue adhibitae sunt, hic posuimus:

1. Pharmacopoea Japonica, cui praecipue legis auctoritas erit, quam brevissime et dilucidissime concipienda est. Ad contextus verba explicanda et supplenda ii, qui rebus publicis praesunt, commentarium conscribi curabunt expertem scilicet legitimae auctoritatis.
2. Praeter editionem in lingua Japonica conscriptam usus externi causa translatio Latina publicabitur.
3. In editione Japonica sicut in Latina ordo alphabeticus adhibendus est.
4. Cuique medicamento duo nomina principalia imponenda sunt, alterum Japonicum, alterum Latinum. Raro tantummodo alia synonyma usitatiora addenda sunt.
5. Quod attinet ad nomenclationem Latinam, ea chemicalium nomina eligenda sunt, quae quam maxime respondeant nominibus usu

linguarum principalium receptis et quam minime dependeant a singularibus constitutionis chemicae cognitionibus. In nominandis chemicalibus et simplicibus nomina descriptiva principalibus postponenda, in iis autem medicamentis, quae galenica dicuntur, nomina descriptiva praeponenda sunt, veluti Bismuti Subnitras, Aurantii Flores, Extractum Cinchonae. In simplicibus nomina descriptiva, nisi ad obscuritatem confusionemque vitandam necessaria videntur, omittenda sunt.

6. Simplicibus nomina plantarum animaliumque, ex quibus oriuntur, adscribenda sunt.
7. Praescripta medicamentorum parandorum nisi ad certam praeparati qualitatem praestandam necessaria videntur, danda non sunt.
8. Ubi huius modi regulae non dantur, descriptiones ita concipiendae sunt, ut satis certum sit, praeparata sincera et a quisquiliis adulterationibusque libera esse. (Eas reactiones, quibus sinceritas modo probetur, laudare minus necessarium videtur, si jam e

medicamenti nomine et descriptione praeparati genus satis liquet.)

9. Servandi rationes in iis tantummodo medicamentis describendae sunt, quae propter qualitates suas peculiari cura egent.

10. Ad pondera et mensuras indicanda systema metricum adhibendum est.

11. Caloris gradus ubique secundum thermometrum Celsianum vel centigradum indicandi sunt.

12. Pharmacopoeae hae appendices addendae sunt.

    a. *Regulae generales* medicamentorum generum similia praeparandorum, probandorum, servandorum, sicut Extractorum, Syruporum, simil.

    b. *Enumeratio* reagentium in medicamentis probandis adhibendorum.

    c. *Enumeratio* solutionum volumetricarum in medicamentis probandis adhibendarum.

    d. *Tabula I* ea medicamenta continens, quae in quavis officina pharmaceutica

omni tempore praesto esse debent. In contextu pharmacopoeae hoc signo ○ notanda sunt.

e. *Tabula II* ea medicamenta continens, quae loco clauso **cautissime** servanda sunt.

f. *Tabula III* ea medicamenta continens, quae loco separato **caute** servanda sunt.

g. *Tabula IV* exhibens doses maximas pro adulto, et singulares et diurnas, quae medico ad usum internum praescribenti transgredi non liceat nisi addito signo ▽.

Praeterea iis, qui hac pharmacopoea utuntur, haec observanda sunt:

1. Ubicumque de partibus agitur, ponderis partes intellegendae sunt.
2. Ubi in pharmacopoea notae proportionem solutionis indicantes uncinis inclusae inveniuntur, quales sunt (1 : 10), (1 : 20), hos numeros ut approximativos intellegere licet.
3. Calor 15° C ubique ut normalis acceptus est.
4. In medicamentis chemica ratione probandis pro Aqua semper Aqua destillata adhibenda est.
5. Ubicumque in reagentibus describendis de solutione agitur neque id quo solvantur distinctis verbis laudatur, solutio aquosa intellegenda est; plerumque brevitatis causa etiam vox "solutio" in reagentibus laudandis omissa est.
6. Maceratio fiat calore 15°—25°, digestio calore 35°—40°.
7. Ubi verba inveniuntur "a luce tutum servetur" vasa vitrea nonnisi nigra vel e flavo fusca eligantur.

8. Nisi aliter praescriptum est, medicamenta simplicia semper in statu sicco adhibenda sunt. Siccatio eorum qualibet apta ratione efficiatur, calore autem 40° superante non licet uti.

9. In *Tabula V* fluctuationes ponderis specifici nonnullorum medicamentorum liquidorum notatae sunt, quales efficiuntur calore inter 10° et 30° variante. *Tabula VI* pondera exhibet atomorum et symbola elementorum principalium.

10. In duobus nominum indicibus, qui finem faciunt pharmacopoeae, nomina Japonica secundum *I-ro-ha*, Latina alphabetice disposita sunt.

Acetum purum.

Acidum aceticum dilutum.

R.

Acidi acetici *partes septendecim*.................. 17.

Aquae destillatae *partes octaginta tres*......... 83.

Misce.

Sit limpidum, coloris expers, saporis pure acidi. Ad reagentia se habeat sicut sub Acido acetico dictum est. *Triginta grammata* saturent *triginta cm*^{3} Solutionis acidimetricae normalis, id quod *sex partibus* Acidi acetici absoluti ($C_2H_4O_2$) in *centum partibus* respondet.

Acetum Scillae.

R.

Scillae siccatae et contusae *partem unam*...... 1.

Aceti puri *partes novem*............................ 9.

Spiritus *partem unam*................................. 1.

Saepius agitans per triduum macera et leniter expressa filtra.

Sit liquor limpidus, flavus, saporis acidi, ingrati, amari. In vasis bene clausis loco frigido servetur.

Acidum aceticum.

Liquor limpidus, coloris expers, saporis peracidi, ponderis specifici 1.048, calore balnei aquae perfecte avolans. Liquor

Kali caustici neutrale factum ne odorem empyreumaticum exhalet. Cum *pari copia* Acidi sulphurici commixtum ne coloretur, neve mixtura refrigerata, si solutionem saturatam Ferri Sulphatis superstraveris, zonam subfuscam exhibeat. Acidum *quinque partibus* Aquae dilutum Baryi aut Argenti Nitrate aut Aqua Ammoniae aut Acido sulphydrico ne mutetur.

Si *50* cm^3 huius Acidi diluti cum *1* cm^3 Solutionis Kalii Permanganatis commiscueris, color liquoris quinque minutis interpositis ne evanescat. *Sex grammata* saturent *triginta sex* cm^3 Solutionis acidimetricae normalis, id quod *triginta sex partibus* Acidi acetici absoluti ($C_2H_4O_2$) in *centum partibus* respondet.

Acidum aceticum glaciale.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris pungentis, acidi, frigore in massam crystallinam concrescens, calore circiter 16° denuo liquescens, calore balnei aquae perfecte avolans, ponderis specifici 1.056-1.064, calore circiter 117° ebulliens. Cum quavis portione Aquae aut Spiritus aut Aetheris limpide possit misceri.

Acidum *quindecim partibus* Aquae dilutum Baryi aut Argenti Nitrate aut Aquae Ammoniae aut Acido sulphydrico neve turbetur neve coloretur.

Si *50* cm^3 huius Acidi diluti cum *1* cm^3 Solutionis Kalii Permanganatis commiscueris, color liquoris quinque minu-

tis interpositis ne evanescat. *Tria grammata* saturent minimum *duodequinquaginta cm*^{3} Solutionis acidimetricae normalis, id quod minimum *96 partibus* Acidi acetici absoluti ($C_2H_4O_2$) in *centum partibus* respondet.

In vasis, quae epistomiis vitreis bene claudantur, servetur.

○ Acidum arsenosum.

Frusta alba, plus minusve pellucida vel porcellanae similia aut pulvis albus. In *15 partibus* Aquae ebullientis perfecte, quamvis lente, solvatur, calore avolet neve quicquam residui relinquat. *0.495 grammata* cum *uno grammate* Natrii Bicarbonatis in Aqua ebulliente soluta decolorent *nonaginta septem cm*^{3} Solutionis Iodi decinormalis, id quod minimum *97 partibus* Acidi arsenosi puri (As_2O_3) in *centum partibus* respondet.

Cautissime servetur.

Acidum benzoicum.

Acidum sublimando e Benzoë paratum. Crystalli lamellares vel aciculares, albi vel flavescentes, nitoris sericei, calore 120° liquescentes, benzoën, non urinam aut Oleum Amygdalae aethereum redolentes, Spiritu, Aethere, Chloroformo solubiles, Aqua frigida paulum, ebulliente autem, sicut Liquore Natri caustici bene solubiles; calefacti liquescant et avolent neve residuum fixum relinquant.

Solutio aquosa Ferri Perchlorido addito ne colorem violaceum trahat, ope Aquae Ammoniae neutralisata Ferri Perchlorido addito praecipitatum e flavo fuscum praebeat.

Si *unam partem* huius Acidi cum *pari pondere* Kalii Permanganatis et *decem partibus* Aquae aliquamdiu in tubulo probatorio laxe clauso leniter calefeceris, e tubulo post refrigerationem aperto ne odor Olei Amygdalae aetherei exhaletur.

○ Acidum boricum.

Lamellae crystallinae, coloris expertes, nitoris margaritacei, quae, si calefeceris, aquae vapores emittentes liquescant, tum intumescant, denique in massam abeant, quae frigore in vitrum diaphanum, coloris expers concrescat. Aqua Spirituve ebulliente Acidum facile et perfecte solvitur. Solutio aquosa concentrata cum paulo Acidi nitrici commixta neve Argenti Nitrate plus quam opalescens neve Baryi Nitrate intra duas minutas turbetur. Solutio aquosa Acido sulphydrico aut Aqua Ammoniae aut Kalii Sulphocyanido neve turbetur neve coloretur.

○ Acidum carbolicum.

Massa coloris expers aut leviter rutilans, e crystallis longis, acicularibus constans, odoris levis, peculiaris, non ingrati, accensa flamma alba sine residuo deflagrans, calore

circiter 38° liquescens, calore circiter 180° ebulliens.

10 partes Acidi carbolici cum *1 parte* Aquae mixturam limpidam efficiant, quae maiore Aquae copia addita turbetur, *200* autem Aquae *partibus* in liquorem limpidum solvatur. Haec Solutio Ferri Perchlorido addito colorem violaceum trahat. Cum quavis portione Spiritus, Aetheris, Chloroformi, Glycerini limpide possit misceri, item Liquore Natri caustici limpide solvatur.

Caute servetur.

Acidum carbolicum crudum.

Liquor coloris plus minusve e rutilo fusci, pellucidus, odoris empyreumatici, Aqua non perfecte, facile autem Spiritu aut Aethere, Liquore Natri caustici tantum non perfecte solubilis. Solutio aquosa Ferri Perchlorido violacea tingatur, Aqua Bromi ad lactis instar turbetur.

Caute servetur.

Acidum chromicum.

Crystalli coloris coccinei, in aëre deliquescentes aut massa clarius rubens, mollis, lanosa, Aqua facile solubiles fervefacta in liquorem intense fuscum abiens. Cum Spiritu aut aliis corporibus, quae facile oxydantur, conjunctum aut calefactum crepitus et igniculos facere potest.

Caute in vasis, quae epistomiis vitreis claudantur, servetur.

Acidum citricum.

Crystalli coloris expertes, diaphani, in aëre persistentes, qui calefacti liquescant, deinde carbonescant, postremo deflagrent, nihil residui fixi relinquentes. *0.6 partibus* Aquae aut *1 parte* Spiritus aut circiter *50 partibus* Aetheris solubilis. Solutio aquosa Liquore Calcis supersaturata limpida maneat et cocta praecipitatum album exhibeat, quod refrigeratum praeter parvum residuum evanescat. Solutio aquosa (1 : 10) cum Solutione Calcii Sulphatis commixta limpida maneat et Baryi Nitrate aut Ammonii Oxalate addito, si omnino, leviter tantummodo opalescens turbetur.

Solutio aquosa concentrata ope Aquae Ammoniae maximam partem neutralis facta ne Acido sulphydrico addito mutetur. Solutio spirituosa (1 : 3) *pari volumine* Solutionis Kalii Acetatis addito praecipitatum crystallinum ne exhibeat. Si *1 gramma* huius Acidi cum *10 gr.* Acidi sulphurici in balneo aquae ebulliente per unam horam calefeceris, mixtura ne colorem e rubro fuscum trahat. *1.4 gr.* huius Acidi saturent *viginti cm*^{3} Solutionis acidimetricae normalis.

○ Acidum hydrochloricum.

Acidum muriaticum.

Liquor limpidus, coloris expers, in aëre nebulas albas exhalans, in calore perfecte volatilis, pond. spec. 1.15.

Quinque partibus Aquae dilutum neve Acido sulphydrico saturatum mutetur, neve Baryi Nitrate addito intra quinque minutas turbetur neve Solutione Zinci Iodidi et Amyli addita caeruleum tingatur, Argenti autem Nitrate addito praecipitatum praebeat album caseo simile, Aqua Ammoniae perfecte solubile. Aqua Ammoniae supersaturatum neve praecipitetur neve turbetur, deinde Ammonii Sulphido addito, si omnino, leviter tantummodo subviride tingatur. Cum *duplici volumine* Stanni Chloridi, ope Acidi hydrochlorici in solutionem limpidam, concentratam redacti, aliquamdiu leniter calefactum, deinde satis diu sepositum neve praecipitatum neve colorem rutilum exhibeat.

3.65 gr. huius Acidi saturent *triginta* cm^3 Solutionis acidimetricae normalis, id quod *triginta partibus* Acidi hydrochlorici anhydri in *centum partibus* respondet.

Caute in vasis, quae epistomiis vitreis claudantur, servetur.

Acidum hydrochloricum crudum.

Acidum muriaticum crudum.

Liquor limpidus, plerumque flavescens, in aëre fumans, pond. spec. 1.16–1.17, *partes 32–34* Acidi hydrochlorici anhydri in *centum partibus* continens. Vestigia exhibere solet Acidi sulphurici, Acidi sulphurosi, Aluminii, Chlori,

Iodi, Ferri, Arseni.

Caute servetur.

Acidum hydrochloricum dilutum.

Acidum muriaticum dilutum.

R.

Acidi hydrochlorici *partem unam*........ 1.
Aquae destillatae *partes duas*........ 2.

Misce.

Sit limpidum, coloris expers, pond. spec. 1.05. Ad reagentia se habeat sicut sub Acido hydrochlorico dictum est. *3.65 gr.* huius Acidi saturent *10 cm^3* Solutionis acidimetricae normalis, id quod *10 partibus* Acidi hydrochlorici anhydri in *centum partibus* respondet.

○ Acidum nitricum.

Liquor limpidus, coloris expers, in balneo aquae calefactus perfecte avolans, pond. spec. 1.317. Acidum *quattuor partibus* Aquae dilutum neve Argenti Nitrate aut Aqua hydrosulphurata mutetur neve Solutione Baryi Nitratis intra quinque minutas plus quam leviter opalescens turbetur, neve cum paulo Chloroformi conquassatum colorem violaceum efficiat, etiamsi Acidum antea cum paulo Stanni raspati calefeceris. Aqua Ammoniae supersaturatum neve mutetur neve Ammonii Sulphido postea addito praecipitetur.

6.3 gr. huius Acidi saturent *50 cm^3* Solutionis acidimetricae normalis, id quod *50 partibus* Acidi nitrici puri (HNO_3) in *centum partibus* respondet.

Caute in lagoenis, quae epistomiis vitreis claudantur, servetur.

Acidum nitricum dilutum.

R.

Acidi nitrici *partem unam* .... **1.**

Aquae destillatae *partes quattuor* .... **4.**

Misce.

Sit liquor limpidus, coloris expers, pond. spec. 1.059. Ad reagentia se habeat sicut sub Acido nitrico dictum est. *6.3 gr.* saturent *10 cm^3* Solutionis acidimetricae normalis, id quod *10 partibus* Acidi nitrici puri (HNO_3) in *centum partibus* respondet.

Acidum nitricum fumans.

Liquor limpidus, e fusco ruber, in aëre vaporem rubrum, suffocantem exhalans, pond. spec. circiter 1.5. Aquae *partibus* circiter *centum* dilutum Argenti aut Baryi Nitrate, si omnino, nonnullis tantummodo minutis interpositis leviter turbetur.

Caute in vasis, quae epistomiis vitreis claudantur, loco frigido servetur.

Acidum phosphoricum.

Liquor limpidus, coloris et odoris expers, pond. spec. 1.12, quod *viginti partibus* Acidi phosphorici ($H_3 P O_4$) in *centum partibus* respondet.

Natrii Carbonate propemodum saturatum limpidum maneat et Argenti Nitrate addito praecipitatum praebeat flavum, Acido nitrico aut Aqua Ammoniae perfecte solubile. Acido sulphydrico saturatum, deinde in vase clauso per viginti quattuor horas sepositum ne sedimentum sive flavescens sive aliter coloratum exhibeat. Cum *pari volumine* Acidi sulphurici commixtum, deinde refrigeratum et Solutione Ferri Sulphatis saturata caute superstratum ne zonam fuscam praebeat. Argenti Nitrate neve in frigore neve calefactum turbetur. *Triplici volumine* Aquae dilutum Baryi Nitrate addito ne statim turbetur. Cum *quadruplici volumine* Spiritus commixtum limpidum maneat.

○ Acidum salicylicum.

Aciculae crystallinae, albae aut pulvis crystallinus, mollis, saporis e subdulci acidi et leviter pungentis, calore circiter 160° liquescens, in lamina platinea calefactus avolans neque quicquam residui fixi relinquens. Aqua frigida difficilius (1 : 540), Aqua fervida aut Spiritu aut Aethere facile solvitur. Solutio aquosa reactionem praebeat acidam et Ferri Perchlorido violacea tingatur. Si solutionem Spiritu absoluto effectam, saturatam evaporationi spon-

taneae exposueris, massa alba, e crystallis acutis constans relinquatur. Circiter *10 partibus* Spiritus solutum et cum paulo Acidi nitrici commixtum *nonnullis guttis* Solutionis Argenti Nitratis ne turbetur.

Acido sulphurico solutum colorem, si omnino, levissime tantummodo mutet.

○ Acidum sulphuricum.

Liquor limpidus, coloris et odoris expers, olei spissitudine, in lamina platinea calefactus perfecte avolans, pond. spec. circiter 1.838, reactionis fortiter acidae. Cum *triplici volumine* Spiritus commixtum ne longiore quidem tempore interposito turbetur, *volumine* circiter *aequali* Solutionis Ferri Sulphatis limpidae et saturatae caute superstrato ne zonam subfuscam exhibeat. Circiter *quinque partibus* Aquae dilutum limpidum sit; neve Argenti Nitrate aut Acido sulphydrico neve ope Aquae Ammoniae supersaturatum Ammonii Sulphido mutetur. *25 cm^3* huius Acidi diluti cum *aequali volumine* Aquae et *1 cm^3* Solutionis Kalii Permanganatis commixta ne colorem statim deleant; *10 cm^3* eiusdem Acidi diluti cum Zinco puro commixta ne gas emittant, quod scidulam chartaceam Argenti Nitratis Solutione (1 : 2) imbutam subfuscam nigramve tingat.

2.45 gr. Acidi saturent minimum *47 cm^3* Solutionis acidimetricae normalis, id quod minimum *94 partibus* Acidi sulphurici (H_2SO_4) in *centum partibus* respondet.

Caute in vasis, quae epistomiis vitreis claudantur, servetur.

Acidum sulphuricum crudum.

Liquor limpidus, coloris expers aut subfuscus, olei spissitudine, pond. spec. minimum 1.83, minimum *91 partes* Acidi sulphurici ($H_2 S O_4$) in *centum partibus* continens.

Caute in vasis, quae epistomiis vitreis claudantur, servetur.

Acidum sulphuricum dilutum.

R.

Acidi sulphurici *partem unam*...................... **1.**

Aquae destillatae *partes quinque* .... **5.**

Acidum caute et paulatim in aquam continuo agitandam infunde. Sit pond. spec. 1.110–1.114. Ad reagentia se habeat sicut sub Acido sulphurico dictum est.

4.9 gr. huius Acidi saturent *15.6–16* cm^3 Solutionis acidimetricae normalis, id quod prope *16 partibus* Acidi sulphurici ($H_2 S O_4$) in *centum partibus* respondet.

Acidum sulphurosum.

Liquor limpidus, coloris expers, sulphur incensum fortiter redolens, pond. spec. circiter 1.023, calore plane

avolans. Chartam exploratoriam caeruleam initio rubram tingat, postea decoloret. Paulo Solutionis Baryi Nitratis addito, si omnino, leviter tantummodo turbetur.

3 gr. huius Acidi *50 centimetris cubicis* Aquae diluta decolorent *triginta tria* cm^3 Solutionis Iodi decinormalis, id quod minimum *partibus 3.5* Sulphuris Dioxydi (SO_2) in *centum partibus* respondet.

A luce tutum in lagoenis bene clausis et perfecte repletis loco frigido servetur.

O Acidum tannicum.

Pulvis e subflavo albus aut squamae tenues, nitidae, reactionis acidae, saporis fortiter adstringentis. Spiritu solubile sit, Aethere aut Chloroformo aut Benzolo non solubile. *Quinque partibus* Aquae calidae limpide vel propemodum limpide solvatur, refrigeratum massam resinaceam ne excernat. Haec Solutio cum Gelatinae animalis aut Albuminis solutione praecipitatum magnum, album, floccosum, cum Ferri Perchlorido praecipitatum e caeruleo nigrum praebeat. *Quinque partibus* Spiritus diluti solutum limpidum et coloris propemodum expers sit, *duplici volumine* Aetheris addito ne turbetur.

In lamina platinea ignitum si quid omnino vestigia tantummodo cineris relinquat.

○ Acidum tartaricum.

Crystalli in aëre persistentis, prismatici, saepe in crustas concreti, odoris et coloris expertes aut pulvis purus crystallinus. *Pari pondere* Aquae frigidae aut *tribus partibus* Spiritus perfecte solvatur. Aethere aut Chloroformo aut Benzolo fere non solubile est. In lamina platinea ignitum carbonescit odorem sacchari urentis spargens, postremo deflagrat, si quid omnino, vestigia tantummodo cineris relinquens.

Solutio aquosa concentrata, ope Aquae Ammoniae propemodum neutralis facta Acido sulphydrico ne mutetur. Solutio aquosa (1 : 10) Calcii Sulphate aut Argenti Baryive Nitrate aut Ammonii Oxalate ne turbetur; Solutione Kalii Acetatis addita praecipitatum crystallinum praebeat. *2 gr.* huius Acidi saturent prope *26.5 cm*^{3} Solutionis acidimetricae normalis.

○ Adeps.

Sus scrofa *Linn.*

E suis omento et tela adiposa circa renes deposita liquefaciendo, ope Aquae abluendo, deinde siccando paratur. Calore 35° ad 40° abeat in liquorem coloris plane expertem, limpidum, non rancidum, qui cum Spiritu calido conquassatus, deinde refrigeratus filtratum praebeat, quod Aqua dilutum Chartam exploratoriam non mutet.

○ Aether.

Liquor limpidus, coloris expers, facile agilis, perfecte volatilis, neutralis, odoris peculiaris, calore circiter 35° ebulliens; cum quavis portione Spiritus aut Acidi acetici glacialis aut oleorum pinguium possit misceri. Pond. spec. maximum 0.728.

10 cm³ Aetheris, si evaporationi spontaneae in patella exposueris, ne odorem relinquant. Si *paria volumina* Aetheris et Aquae fortiter conquassaveris, posterioris volumen ne plus quam *decima parte* augeatur.

Loco frigido in lagoenis bene clausis iisque non perfecte repletis servetur.

○ Aloë.

Variae species **Aloës.**

Frusta plus minusve saturate fusca, in fractura languide vel vitri instar nitentia, conchata, saporis peramari, odoris peculiaris. Cum *dupla copia* Aquae effervescentis solutionem fere limpidam praebeat, ex qua refrigerata magna pars, circiter *dimidium pondus* Aloës adhibitae valens ut resina mollis subsidat.

Solutio spirituosa (1:5) etiamsi Aetheris *unius voluminis tertiam partem* addideris, si omnino, levissime tantummodo turbetur. In cinerem redacta pro *centum partibus* ne plus quam *quinque partes* residui fixi relinquat.

○ Althaea.

Althaea rosea *Cav.*

Radix longa, crassitudine digiti, a subere e subflavo griseo liberata, superficie farinosa, alba, libro longis fibris praedito. Sapor insipide mucosus est. Segmentum transversum corticem album, satis latum et cylindrum ligneum, radiatum praebeat.

○ Alumen.

Aluminii et Kalii Sulphas.

Crystalli regulares octaëdrici, coloris odorisque expertes, diaphani, duri aut frusta crystallina saporis e subdulci adstringentis, reactionis acidae, *10.5 partibus* Aquae, sed non Spiritu solubiles. Calefactum liquescat et fortiter intumescat, postremo massam albam, porosam relinquat.

Solutio aquosa saturata Acido sulphydrico ne mutetur, *una gutta* Kalii Ferrocyanidi addita colorem si ullum omnino, subcaeruleum tantummodo trahat et Liquore Natri caustici addito praecipitatum praebeat gelatinosum et album, quod Liquore Natri caustici excedente perfecte solvatur. Haec solutio calefacta ne Aquam Ammoniae exhalaverit; paulo Aquae hydrosulphuratae addito ne ullum, Ammonii autem Chlorido excedente addito magnum praecipitatum album exhibeat.

Alumen exsiccatum.

Aluminii et Kalii Sulphas exsiccatus.

Pulvis subtilis, albus, Aqua lente, sed propemodum perfecte solubilis. Leniter ignitum *centum ponderis partium* ne plus quam *decem* perdiderit. Solutio aquosa ad reagentia se habeat sicut sub Alumine dictum est.

In vasis bene clausis servetur.

Ammoniacum.

Dorema Ammoniacum *Don.* **Dorema Aucheri** *Boiss.*

Gummi-resina constans e granulis aut separatis aut plus minusve inter se cohaerentibus vel e massis amplioribus, coloris clari, e subflavo fusci, per fracturam recentem turbide albescentis. In frigore fragile, calefaciendo mollescit nec vero limpide liquescit. Odor peculiaris, sapor amarus et acer est.

Acido hydrochlorico addito ne leniter calefactum quidem colorem rubrum violaceumve trahat. Cum Aqua contritum emulsionem albam praebeat.

Tempestate frigida in pulverem redigatur et ope cribri a quisquiliis liberetur et loco frigido siccoque servetur.

In cinerem redactum pro *centum partibus* ne plus quam *sex partes* residui fixi relinquat.

Ammonii Carbonas.

Massa crassa, dura, fibrosa, crystallina, plus minusve diaphana, odoris fortiter ammoniacalis, non empyreumatici. In aëre fatiscit et opacus albusque fit. Aquae *partibus quinque* acidis dilutis cum forti effervescentia solvitur; calore modico perfecte avolat.

Solutio aquosa (1 : 20) Acido nitrico diluto supersaturata *nonnullis guttis* Baryi aut Argenti Nitratis, si omnino, nonnullis tantummodo minutis interpositis opalescens turbetur. Solutio aquosa (1 : 20) Acido sulphurico diluto supersaturata Acido sulphydrico ne mutetur; *50 cm^3* huius Solutionis *1 cm^3* Solutionis Kalii Permanganatis addito ne intra quinque minutas colorem rubrum evidenter mutent.

1 gr. huius salis Acido nitrico supersaturatum et in balneo aquae evaporatum residuum praebeat coloris expers, calore maiore avolans neque colorem nigrum efficiens.

○ Ammonii Chloridum.

Pulvis odoris expers, albus, in aëre persistens, crystallinus neutralis, in calore volatilis. *Tribus partibus* Aquae frigidae, ebullientis *partibus* fere *aequalibus* solubile est.

Solutio aquosa Argenti Nitrate addito praecipitatum exhibeat album, caseo simile, Acido nitrico diluto non solubile, Aqua Ammoniae solubile, cum Liquore Natri caustici calefacta vapores ammoniacales exhalet.

Solutio aquosa (1 : 20) neve Acido sulphydrico aut Baryi

Nitrate aut Acido sulphurico diluto mutetur neve Ammonii Sulphido praecipitetur.

Circiter *1 gr.* huius Salis cum paulo Acidi nitrici in balneo aquae evaporatum residuum relinquat album, in calore maiore colorem nigrum non trahens et perfecte volatile.

Amygdala amara.

Prunus Amygdalus *Baill.* var. *α* **amara.**

Semina saporis amari, compressa, oblonge ovata, circiter *2 cm* longa, cum testa membranacea, fusca, furfurea, rugis planis, longitudinalibus insigni. Ne rancida sint; contusa cum Aqua emulsionem albam, Oleum Amygdalae aethereum olentem praebeant.

Loco horum semina **Pruni armeniacae** *L.* aut **Pruni persicae** *L.* adhibere licet. Ad usum nuclei tantummodo adhibeantur membrana, postquam Aqua calida molliveris, remota.

Amygdala dulcis.

Prunus Amygdalus *Baill.* var. *β* **dulcis.**

Semina saporis oleosi et dulcis, Amygdalis amaris, quas offert Prunus Amygdalus, forma similia, plerumque autem paulo longiora. Semina ne rancida sint; contusa cum Aqua emulsionem Oleum Amygdalae aethereum non olen-

tem praebeant.

Ad usum nuclei tantummodo adhibeantur membrana, postquam Aqua calida molliveris, remota.

Amyl Nitris.

Liquor limpidus, flavescens, calore circiter 98° ebulliens, odoris fructibus similis, saporis caustici et aromatici. Reactionem neutram aut leviter acidam exhibeat. Aqua vix, Spiritus autem vel Aetheris vel Chloroformi vel Benzoli quavis portione solvatur. Pond. spec. circiter 0.873. Accensa flamma flava, lucente, fuliginosa deflagrat.

10 cm^3 Amyl Nitritis cum *10 cm*^{3} Aquae et *1 cm*^{3} Solutionis acidimetricae normalis conquassata Chartam exploratoriam caeruleam ne rubefaciant. Cum *triplici volumine* mixturae ex *partibus aequalibus* Aquae Ammoniae et Spiritus compositae paulo Argenti Nitratis addito leniter calefacta ne colorem fuscum nigrumve trahat.

Cum Liquore Kali caustici excedente calefacta, deinde refrigerata et cum Kalii Iodido commixta et ope Acidi acetici acidulata statim Iodum liberum emittat.

Caute, a luce tuta, in parvis vasis servetur.

Amylum.

A. **Erythronium dens canis** *Linn.*

Pulvis subtilis, albissimus, odoris et saporis expers, qui ope microscopi contemplanti e granulis magis minusve or-

biculatis, ovatis, simplicibus et nucleo in parte tenuiore et structura excentrica insignibus constans apparet.

B. **Pueraria Thunbergiana** *Benth.*

Frusta parva, irregularia, alba, quae contrita pulverem albissimum, odoris et saporis expertem praebent. Ope microscopi contemplanti grana rotunda, composita structurae concentricae apparent, quorum granula singularia saepe separata sunt. Amylum neve Aqua frigida neve Spiritu solvatur; cum *centum partibus* Aquae contritum et coctum mucilaginem efficiat frigore liquidam et subturbidam, neque odore neque sapore peculiari insignem, quae Chartam exploratoriam non mutet et Solutione Iodi addita colorem saturate caeruleum trahat.

Amylum in cinerem redactum ne plus quam *unam partem* residui fixi pro *centum partibus* relinquat.

○ Antidotum Arseni.

R.

Solutionis Ferri Persulphatis *partes centum* **100.**

Aquae frigidae *partes ducentas quinquaginta* **250.**

Mixtis adde.

Magnesii Oxydi *partes quindecim* .... **15.**

antea exacte contritas cum

Aquae frigidae *partibus ducentis quinquaginta* **250.**

Mixturam diligenter conquassa, quoad plus aequabilis effecta sit.

Non nisi ad dispensandum paretur.

Semper Solutionis Ferri Persulphatis *grammata* circiter *500* et Magnesii Oxydi *grammata 150* praesto esse debent.

Apomorphini Hydrochloras.

Pulvis crystallinus, albus aut e grisco albus, siccus, reactionis neutrius sive leniter acidae, in aëre humido aut in luce mox colorem viridem trahens. Aqua perfecte in liquorem coloris expertem aut leviter subviridem solvitur, Chloroformo non solvitur. Liquore Natri caustici excedente solutus in aëre mox colorem purpureum, deinde nigrum trahit.

Solutio aquosa (1 : 100) ne colorem smaragdinum praebeat; Argenti Nitrate addito praecipitatum album, Acido nitrico non solubile praebeat, quod liquore Aqua Ammoniae supersaturato nigrum fiat. Natrii Bicarbonate addito solutio aquosa (1 : 10) praecipitatum praebeat album, amorphum, quod in aëre mox colorem viridem trahat et cum Aethere conquassatum colorem purpureum, cum Chloroformo conquassatum violaceum caeruleumve trahens perfecte solvatur.

Cautissime et a luce tutus servetur.

○ Aqua.

Aqua naturalis qualitatis purissimae. Sit limpida, coloris odorisque perfecte expers, reactionis neutrius, sapo-

ris recentis eiusque non alieni.

Pro *decem milibus partium* evaporatis et ignitis ne plus quam *tres partes* residui fixi remaneant. Acido sulphydrico aut Ammonii Sulphido aut Reagenti Nessleri ne mutetur.

150 cm³ Aquae *10 cm³* Acidi sulphurici diluti acidulata et fervefacta *1 cm³* Solutionis Kalii Permanganatis addito ne intra quinque minutas omnem colorem perdiderint.

○ Aqua Ammoniae.

Liquor Ammonii caustici.

Liquor limpidus, coloris expers, calore balnei aquae plane volatilis, odoris peculiaris, pungentis, reactionis fortiter alkalinae; pond. spec. 0.960. Cum *quadruplici volumine* Liquoris Calcis commixta, si omnino, levissime tantummodo turbetur. Acido sulphurico diluto supersaturata neve odorem empyreumaticum exhalet neve Acido sulphydrico mutetur. Ammonii sive Sulphido sive Oxalate ne mutetur. Acido nitrico diluto supersaturata neve Baryi aut Argenti Nitrate turbetur neve evaporata residuum relinquat coloris expers, quod calore maiore perfecte avolet, colorem nigrum non trahans.

20 cm³ Liquoris alkalimetrici normalis requirant *3.4 grammata* Aquae Ammoniae ad liquorem neutralem efficiendum, id quod *10 partibus* Ammoniae (NH_3) in *centum partibus* respondet.

Loco frigido in vasis, quae epistomiis vitreis bene claudantur, servetur.

Aqua Ammoniae fortior.

Liquor limpidus, coloris expers, calore balnei aquae plane volatilis, odoris fortissime pungentis, reactionis fortiter alkalinae, pond. spec. prope 0.903. Ad reagentia se habeat sicut sub Aqua Ammoniae dictum est.

50 cm^3 Liquoris alkalimetrici normalis requirant *3–3.1 gr.* Aquae Ammoniae fortioris ad liquorem neutralem efficiendum, id quod prope *28 partibus* Ammoniae (NH_3) in *centum partibus* respondet.

Caute, in lagoenis, quae epistomiis vitreis claudantur, loco frigido servetur.

○ Aqua Amygdalae amarae.

R.

Amygdalae amarae *partes duodecim*............ **12.**

Contundantur et ita ut calor vitetur exprimendo quam maxime potest ab oleo pingui liberentur, deinde in pulverem subtilem redactae in apparatu destillatorio, amplo bene misceantur cum

Aquae *partibus octoginta*............................ **80.**

Jam addatur

Spiritus *pars una*....................................... **1.**

Deinde mixturam bene reclusam per duodecim horas sepone, tum caute destilla

Partes undecim.. **11.**

In vas diligenter refrigeratum et jam

Spiritus *partem unam*.................................. **1.**

continens.

Copiam Acidi hydrocyanici in liquore destillato contentam ratione infra descripta proba, deinde liquorem tanta copia mixturae

Spiritus *parte una*.. **1.**

Aquae destillatae *partibus quinque*.............. **5.**

compositae dilue, ut *mille partes unam partem* Acidi hydrocyanidi contineant.

24.5 gr. (*25* cm^3) Aquae Amygdalae amarae *quinquaginta* cm^3 Aquae dilue et cum Magnesii Hydroxydo pultiformi commisce, quoad opaca fiant, deinde *5–10 guttas* Solutionis Kalii Chromatis adde. Tum tamdiu Solutionem decinormalem Argenti Nitratis instilla, quoad color ruber agitando jam non deleatur. Si numerum centimetrorum cubicorum Solutionis Argenti Nitratis adhibitorum cum 0.11 multiplicaveris, copiam invenies Acidi hydrocyanici in *mille partibus* Aquae Amygdalae amarae contentam. Sit limpida aut propemodum limpida, Oleum Amygdalae aethereum valde redoleat, etiamsi Acidum hydrocyanicum cum Argenti Nitrate agitans ligaveris.

Aquam e Foliis **Pruni macrophyllae** *Sieb. et Zucc.* destillatam adhibere licet, si qualitatibus supra dictis respondet.

Loco Aquae Laurocerasi Aqua Amygdalae amarae dispensanda est.

Caute servetur.

Aqua Aurantii Florum.

R.

Florum Aurantii recentium *partes duas*........ 2.
Aquae *partes decem*................................ 10.
Destilla mixturae *partes quinque*................. 5.

In vasis bene clausis a luce tuta servetur.

Aqua carbolisata.

R.

Acidi carbolici *partes quattuor*.................... 4.

Solve

Aquae destillatae *partibus nonaginta sex* ...... 96.

Aqua Chlori.

Aqua chlorata.

Liquor limpidus, e subviridi flavus, calore balnei aquae perfecte volatilis, odoris suffocantis, Chartam exploratoriam caeruleam statim decolorans. Cum excedente copia Hydrargyri conquassata, quoad odor chlori evanescat, filtratum

praebeat, cuius *20* cm^3 cum *1* cm^3 Liquoris acidimetrici normalis commixta reactionem acidam non exhibeant.

35.4 gr. in solutionem aquosam *duorum grammatum* Kalii Iodidi infusa ad Iodum liberatum decolorandum requirant minimum *40* cm^3 Liquoris decinormalis Natrii Thiosulphatis, id quod minimum *partibus 0.4* Chlori in *centum partibus* respondet.

A luce tuta in lagoenis parvis et repletis, quae epistomiis vitreis bene claudantur, servetur.

Aqua Cinnamomi.

R.

Olei Cinnamomi *partes duas*........................ **2.**

Aquae destillatae fervidae *partes mille*.... **1000.**

Oleum cum Aqua fortiter conquassatum et refrigeratum filtra per chartam bibulam antea Aqua imbutam.

O Aqua destillata.

Aqua apte destillata.

Sit limpida, reactionis neutrius, sine residuo evaporans; neve *duobus voluminibus* Liquoris Calcis, neve Hydrargyri Perchlorido, neve Argenti Nitrate, neve Baryi Nitrate, neve Ammonii Oxalate turbetur.

Aqua Foeniculi.

R.

Olei Foeniculi *partes duas* .... 2.

Aquae destillatae fervidae *partes mille* ... 1000.

Oleum cum Aqua fortiter conquassatum et refrigeratum filtra per chartam bibulam antea Aqua imbutam.

Aqua Menthae.

R.

Olei Menthae *partes duas* .... 2.

Aquae destillatae fervidae *partes mille*.... 1000.

Oleum cum Aqua fortiter conquassatum et refrigeratum filtra per chartam bibulam antea Aqua imbutam.

Argenti et Kalii Nitras.

R.

Argenti Nitratis *partem unam* .... 1.

Kalii Nitratis *partem unam* .... 1.

Commixtas et caute liquefactas in bacillorum forman funde.

Sint bacilli albi aut e subgriseo albi, duri, in fractura granulose crystallini.

Si *unum gramma* praeparati *decem* cm^3 Aquae solutum cum *30* cm^3 Liquoris decinormalis Natrii Chloridi et *5–10 guttis* Solutionis Kalii Chromatis commiscueris, ne plus

quam *1 cm³* Liquoris decinormalis Argenti Nitratis requiratur, ut liquor colorem rubrum permanentem trahat.

Caute a luce tutus servetur.

Argenti Nitras.

Crystalli coloris expertes, tabellaeformes, in aëre persistentes, Aquae *partibus 0.6* nec non Spiritu aut Aethere solubiles, neutrales. Aqua Ammoniae limpide et sine colore solvatur.

Solutio aquosa omni Argento ope Acidi hydrochlorici diluti praecipitato filtratum praebeat coloris expers, quod evaporatum nihil residui relinquat.

Caute a luce tutus servetur.

○ Argenti Nitras fusus.

Lapis infernalis.

Bacilli albi aut e subgriseo albi, in fractura radiate crystallini, calore liquescentes, ceterum iisdem qualitatibus insignes, quae sub Argenti Nitrate dictae sunt.

Caute a luce tutus servetur.

Arnicae Flores.

Arnica montana *Linn.*

Capitula florum involucro biseriato, piloso et receptaculo alte convexo, foveolato et floribus e rubro flavis praedita;

flores radii sunt ligulati, tridentati, non plus quam *sex mm* lati et *triginta mm* longi, septem vel decem nervis praediti, circiter viceni; disci flores sunt hermaphroditi et tubulosi. Fruticuli setosi, fere quinquangulares pappo, qui constat e pilis acutis, rigidis, ad *octo mm* longis, coronati sunt. Ad usum calix et receptaculum removeantur. Odor leviter aromaticus, sapor simul subamarus est.

Arnicae Radix.

Arnica montana *Linn.*

Rhizoma circiter *duo* ad *quinque mm* crassum, annulatum, fuscum, squamis et caulis residuis praeditum, in altera parte permultis radicibus subsecundis consitum. In segmento transverso medullam valde excultam, albidam exhibet, quae fasciculis ligneis sparsis, cuneatis, subflavis cincta, cambii zona a cortice separatur. Cortice continetur corolla ductuum balsamiferorum, ad annulum cambii prope adiacens. Radices subsecundae satis longae et circiter *unum mm* crassae sunt; constant e ligni cylindro centrali, qui corolla ductuum balsamiferorum et cortice valde exculto coriumque suberis fuscum continente cingitur. Odor leviter aromaticus, sapor simul amarus et satis acer est.

Arseni Iodidum.

Massa e subfusco aurantiaca, crystallina aut lamellae crystalinae, nitidae, reactionis neutrius, odoris iodo similis,

calore plane avolantes. Aqua aut Spiritu facile necnon Aethere aut Carbonei Sulphido perfecte solvatur. Solutio aquosa colore flavo insignis cum Acido sulphydrico praecipitatum praebeat coloris citrici.

Cautissime et a luce tutum in vasis bene clausis servetur.

Asa foetida.

Ferula Scorodosma *Benth. et Hook.* **Ferula Narthex** *Boiss.* et aliae **Ferulae** species.

Gummi-resina subfusca, constans e granis liberis, vel plus minusve conglutinatis vel in massa pulla inclusis, odoris et saporis allio similis, coloris in fractura recenti albidi.

Cum Aqua contrita emulsionem albam praebeat; in cinerem redacta pro *centum partibus* ne plus quam *decem partes* residui liberi relinquat. Frigore in pulverem redacta et ope cribri a quisquiliis liberata loco frigido et sicco servetur.

O Atropini Sulphas.

Pulvis albus, crystallinus, cum *pari pondere* Aquae et *sextuplo pondere* Spiritus solutiones reactionis neutrius efficiens. In lamina platinea ignitus liquescit et vapores albos emittit et deflagrat residuum fixum non relinquens.

Solutio aquosa (1 : 250) Platini Chlorido aut Natrii Bicarbonate aut Aqua Ammoniae aut Argenti Nitrate ne turbetur; cum Baryi Nitrate praecipitatum praebeat Acido hydrochlorido diluto non solubile. Praecipitatum, quod in solutione aquosa Auri Chlorido addito oritur, ope Aquae ebullientis, Acido hydrochlorico acidulatae recrystallisatum lamellas crystallinas, flavas, non ad auri instar nitentes praebeat. Solutio aquosa (1 : 1000) saporem amarum acrem praebeat et pupillam dilatet. Acido sulphurico solutus, etiamsi paulum Acidi nitrici addideris, ne colorem trahat.

Si circiter *0.001 gr.* in tubulo vitreo, quoad nebulae albae oriantur, deinde cum circiter *1* cm^3 Acidi sulphurici, quoad color subfuscus apparere incipiat, calefeceris, Aquae circiter *2* cm^3 statim additis odor jucundus, peculiaris exhaletur; si tum granulum Kalii Permanganatis addideris, odor Olei Amygdalae aetherei exhaletur.

Cautissime servetur.

Aurantii Cortex

Citrus Bigaradia *Duham.*

Fructuum, qui justam magnitidinem impleverunt, cortex siccatus, extrinsecus subfuscus et glandulosus, intus albus et spongiosus, saporis amari, aromatici.

Ad usum cortices a partibus interioribus, albis, spongiosis quam maxime liberati adhibeantur.

Aurantii Flores.

Variae **Citri** species.

Flores recentes, odoris admodum jucundi eiusque fortis, nondum aut nuperrime aperti, circiter *15 mm* longi et *5 mm* lati, calyce parvo, quinquedentato et quinque petalis albis satis carnosis, oblongis, glandulose punctatis et multis staminibus plerumque in tres fasciculos concretis et uno pistillo insignes.

Balsamum Copaivae.

Copaifera officinalis *Linn.* et aliae species **Copaiferae.**

Oleoresina e flavo subfusca, limpida si omnino, leviter tantummodo fluorescens, crassitudine Oleo pingui similis, odoris peculiaris, aromatici, saporis subamari et constanter acris, ponderis specifici 0.95–0.99. Evaporatum ne clarum terebinithinae odorem spargat, postremo resinam post refrigerationem fragilem, facile friabilem relinquat. Cum quavis portione Spiritus absoluti limpide possit misceri. Cum *quadruplici copia* Aetheris Petrolei mixtum solutionem praebeat, quae etiamlongiore temporis spatio interjecto, si ullam omnino, levem tantummodo turbationem floccosam exhibeat.

Si *unam* Balsami *guttam viginti guttis* Carbonei Sulphidi solveris et cum *una gutta* mixturae refrigeratae e *partibus aequalibus* Acidi nitrici et Acidi sulphurici compositae conquassaveris, color subviolaceus ne oriatur.

Balsamum Dipterocarpi.

Variae species **Dipterocarpi.**

Oleoresina subcrassa, limpida, viridius fluorescens, luce perlucente saturate e fusco rutila, luce superillucente opace subviridis, odoris leviter aromatici, saporis amari, non acris. Evaporatum ne clarum terebinthinae odorem spargat, postremo resinam relinquat, quae post refrigerationem fragilis et facile friabilis sit. Cum Chloroformo sive Carbonei Sulphido solutionem limpidam, fluorescentem praebeat.

Balsamum peruvianum.

Toluifera Pereirae *Baill.*

Balsamum e nigro fuscum, in stratis tenuioribus e rubro fuscum et diaphanum, syrupi crassitudine, ponderis specifici 1.135 ad 1.150, odoris suaviter aromatici, saporis amarius-culi, postea peracris. Cum Spiritus *copia aequali* limpide misceri possit. Ope Aquae destillatum liquorem praebeat, qui oleum aethereum non separet. Si Balsami circiter *unum gramma* cum *grammatis* circiter *quinque* Aetheris Petrolei vehementer conquassaveris, Balsami magna pars insoluta remaneat, stratum Aetheris Petrolei mixtura aliquamdiu seposita colorem non nisi leviter flavescentem traxerit; quod stratum si in parva patina porcellanea

evaporationi spontaneae dederis, residuum restet tenue, coloris subflavi, Spiritu facile solubile, odoris suavis, oleaceum, quod leviter calefactum Terebinthinae aut Styracis aut Balsami Copaivae aut Balsami Gurjun odorem non spargat.

Balsami *guttae decem* cum *viginti guttis* Acidi sulphurici contritae mixturam praebeant tenacem, coloris cerasini, quae ope Aquae eluta residuum relinquat plasticum, frigore fragile, Aethere solubile.

Tres partes Balsami cum *una parte* Carbonei Sulphidi ita misceri possint, ut non turbentur; aliis huius *partibus* circiter *octo* additis massa resinosa, e fusco nigra separetur, liquor limpide inde effusus colorem non nisi leviter subfuscum praebeat et, si omnino, leviter tantummodo fluorescat.

Balsamum tolutanum.

Toluifera Balsamum *Linn.*

Balsamum in massam plus minusve solidam, fragilem siccatum, coloris e flavo subfusci, odoris admodum suavis et saporis mollis, aromatici, cum Spiritu solutionem limpidam efficiens, quae Aqua diluta reactionem acidam praebeat. Carbonei Sulphido calido levissime tantummodo solvatur, et haec solutio evaporata parvum residuum reactionis acidae relinquat, in quo resina non inveniatur.

Belladonna.

Atropa Belladonna *Linn.*

Folia tenuia, ovata, acuta, integerrima et in petiolum decurrentia, maximum *duo dm* longa et *unum dm* lata, glabra aut in parte inferiore parce glanduloso-pilosa, in duobus lateribus punctis albis obsita, in parte superiore e subfusco viridia, in parte inferiore e griseo subviridia. Odor leviter narcoticus, siccando propemodum evanescens, sapor ingratus et amarus est. Paulo post anthesin colligenda et celeriter siccanda sunt.

Caute et a luce tuta nec ultra unum annum servetur.

Benzinum Petrolei.

Partes Petrolei coloris expertes, non fluorescentes, in destillando calore 55°-75° tantum non perfecte transientes, ponderis spec. 0.64-0.67, facile inflammabiles, odoris fortis, peculiaris, non ingrati. Reactionem neutram exhibeat, Aqua non solubile sit, cum circiter *6 partibus* Spiritus et cum quavis portione Chloroformi aut Benzoli aut Carbonei Sulphidi possit misceri. Cum paulo Solutionis Argenti Nitratis ammoniacalis, cui paulum Spiritus addideris, calefactum ne colorem fuscum trahat.

Si *duas partes* Benzini Petrolei cum mixtura refrigerata *unius partis* Acidi sulphurici et *quattuor partium* Acidi nitrici fumantis conquassaveris, mixtura neve colorem neve

odorem Olei Amygdalae aetherei trahat.

In vasis bene clausis loco frigido servetur.

Benzoë.

Styrax Benzoin *Dryander.*

Grana clara, e fusco vel e rubro flava, cerae instar nitentia, per fracturam lactea, conglutinata aut massae coloris flavi vel e fusco rutile, saepe foraminosae interspersis granis clarioribus, odoris suavis. Spiritus circiter *quinque partibus* calore fere prorsus solvatur. Quae solutio Aqua diluta liquorem lacteum reactionis acidae praebeat.

Benzoë, quae cum Lacte Calcis cocta filtratum praebet, quod cum Solutione Kalii Permanganatis odorem Olei Amygdalae aetherei spargit, reicienda est.

○ Bismuti Subnitras.

Magisterium Bismuti.

Pulvis gravis, albus, in aëre consistens, odoris et propemodum saporis expers, microcrystallinus, in Charta exploratoria caerulea humectata reactionem acidam exhibens. Aqua aut Spiritu non solvitur. *1 gr. quinquaginta grammatis* Acidi sulphurici diluti limpide et perfecte solvatur Acidum carbonicum non emittens. Haec solutio cum Aqua Ammoniae excedente commixta filtratum

praebeat coloris perfecte expers; ope Aquae diluta et omni Bismuto ope Acidi sulphydrici liberata filtratum praebeat quod evaporatum si quid omnino vestigia tantummodo residui fixi relinquat.

Solutio Acido nitrico excedente effecta et ope Aquae diluta, limpida neve Argenti Nitrate neve *nonnullis guttis* Baryi Nitratis turbetur. Cum Liquore Natri caustici excedente calefactus ne vapores ammoniacales exhalet. *Unum gramma* huius salis ardori rubro expositum vapores Aquae, deinde vapores nitrosos exhalet, postremo *0.78-0.84 grammata* Bismuti Oxydi flavi relinquat; si hoc residuum Acido hydrochlorico solutum cum *duplici volumine* solutionis concentratae Stanni Chloridi, Acido hydrochlorico effectae, commiscueris et calefeceris neve praecipitatum neve color rutilus appareat.

Bolus alba.

Argilla pura.

Argillae species albida, friabilis, colorem remittens, quae ope Aquae humectata paulum plastica fiat neque tamen partes solubiles amittat. Neve Acido hydrochlorico superfuso effervescat neve abluta residuum arenosum relinquat.

Bromum.

Liquor saturate fuscus perfecte volatilis et valde agilis, qui vapores flavo rubros fortiter irritantes emittat. Facile Spiritu aut Aethere aut Carbonei Sulphido aut Chloroformo solvitur. Pond. spec. est 2.9-3.0. Liquore Natri caustici solutum colorem perfecte aut propemodum perfecte amittit. *Quadraginta partibus* Aquae solutum colorem e flavo rubrum exhibeat; haec solutio cum Ferro pulverato excedente conquassata filtratum praebeat, quod postquam paulum Ferri Chloridi addideris, cum paulo Chloroformi conquassatum, colorem violaceum non efficiat.

Caute in lagoenis, quae epistomiis vitreis claudantur, loco frigido servetur.

Calamus.

Acorus spurius *Schott.*

Rhizoma a foliorum et caulium fragmentis necnon a radicibus liberatum, extrinsecus fuscum intus telae e griseo albae, spongiosae. Superficiei alterum latus radicum cicatricibus flexuose dispositis et elato margine praeditis, alterum foliorum cicatricibus triangulis, e griseo fuscis, quae internodiis e rubro fuscis alternis vicibus succedunt, insigne est. Odor suaviter, sapor acriter aromaticus est.

Calcii Carbonas praecipitatus.

Pulvis albissimus, microcrystallinus, in aëre persistens, odoris et saporis expers, Aqua propemodum, Spiritu perfecte insolubilis. Acido acetico perfecte et limpide solvatur fortiter effervescens; haec solutio cum Ammonii Oxalate praecipitatum praebeat album, Acido acetico non solubile, Acido hydrochlorico diluto solubile.

Solutio aquosa Acido hydrochlorico diluto effecta (1:20) et coquendo ab Acido carbonico perfecte liberata neve Baryi Nitrate statim, aut Aqua Ammoniae, aut Solutione Calcii Sulphatis aut Acido sulphydrico turbetur, neve ope Aquae Ammoniae supersaturata Ammonii Sulphido addito quicquam nisi colorem viridem praebeat. Solutio Acido hydrochlorico effecta ex qua omnem calcem Aqua Ammoniae et Ammonii Carbonate et paulo Ammonii Oxalatis praecipitaveris, ne filtratum praebeat, quod Natrii Phosphate addito turbetur. Cum Aqua conquassatus filtratum praebeat, quod neque reactionem alkalinam exhibeat neque Argenti Nitrate addito plus quam leviter opalescens turbetur neque evaporatum plusquam parva vestigia residui relinquat.

Calcii Hypophosphis.

Pulvis albus, crystallinus aut crystalli tabulaeformes, diaphani, coloris expertes, in *septem partibus* Aquae solubiles, Spiritu non solubiles, qui fervefacti colorem e rutilo flavum trahant et Hydrogenii Phosphidum sponte

inflammabile exhalent. Solutio aquosa Ammonii Oxalate addito praecipitatum praebeat album, Acido hydrochlorico diluto solubile, Acido acetico non solubile.

Si solutionem aquosam Acido hydrochlorico acidulatam excedentem cum solutione Hydrargyri Perchloridi commiscueris, praecipitatum fiat initio album, postea griseum. Solutio aquosa (1 : 20) reactionem praebeat neutrum neve Plumbi Acetate praecipitetur; cum Ammonii Chlorido commixta et ope Ammonii Carbonatis et Ammonii Oxalatis ab omni Calce liberata filtratum praebeat, quod Natrii Phosphate addito si omnino levissime tantummodum turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Calcii Phosphas praecipitatus.

Pulvis levis, subtilis, albissimus, Aqua vix, Spiritu non solubilis, saporis et odoris expers, qui Argenti Nitrate humectatus colorem flavum trahat et calefactus aquam emittat. Acido Nitrico diluto solutus Acidum carbonicum non emittens liquorem limpidum praebeat.

Haec solutio neve *nonnullis guttis* Baryi Nitratis statim, neve Argenti Nitrate nisi opalescens turbetur; cum Natrii Acetate excedente commixta Ammonii Oxalate aut Aqua Ammoniae, aut Ammonii Sulphido addito praecipitatum album praebeat, Acido autem sulphydrico addito ne mutetur.

Cum Liquore Natri caustici calefactus neve vapores ammoniacales exhalet neve filtratum praebeat, quod cum Ammonii Chlorido excedente calefactum praecipitatum efficiat. Cum Acido acetico conquassatus et cum Ammonii Oxalate commixtus filtratum praebeat limpidum, quod Aqua Ammoniae non praecipitetur, etiamsi postea paulum Natrii Phosphatis addideris.

Calcii Sulphas ustus.

Gypsum venale, in calore medio ustum. Sit pulvis amorphus, albus, qui cum *dimidia parte* Aquae commixtus intra quinque minutas in massam continentem concrescat.

In vasis bene clausis servetur.

Calx.

Calcaria usta.

Massa densa, albida, odoris expers, qui ardore albo non mutetur. Si *dimidiam partem* Aquae calidae superfuderis, Calx hanc imbibat et fervefiat et paulatim in pulverem album dilabatur, qui cum circiter *tribus partibus* Aquae pultem efficiat crassam, aequabilem, Acido nitrico sine effervescentia conspicua solubilem.

In vasis bene clausis servetur.

○ Calx chlorata.

Calx extincta Chloro affecta. Sit pulvis albus aut albidus, Aqua partim solubilis, odoris chloro similis. Acido hydrochlorico excedente fere omnis solvatur magnam partem Chlori emittens.

Si *0.35 gr.* Calcis Chloratae cum circiter *70 cm^3* Aquae contrita cum *uno grammate* Kalii Iodidi et *5 cm^3* Acidi hydrochlorici diluti commiscueris, minimum *20 cm^3* Liquoris decinormalis Natrii Thiosulphatis requirantur ad Iodum liberatum denus ligandum, id quod minimum *20 partibus* Chlori activi in *centum partibus* respondet.

Solutiones aquosae Calcis Chloratae ante dispensandum filtrandae sunt.

In vasis bene clausis loco frigido servetur.

○ Camphora.

Cinnamomum Camphora *Nees.*

Frusta irregularia, coloris expertia, crystallina, odoris penetrantis, peculiariter aromatici, saporis paulum urentis, postea refrigerantis. Calore 175° liquescit, calore 204° ebullit, inflammata flamma fulgente et fumante deflagrat; Aqua vix, Spiritu, Aethere, Acido acetico glaciali, Oleis pinguibus aethereisque facile solvitur. In tubulo probatorio cum *decemplici copia* mixturae ex Acidi nitrici et Aquae *voluminibus partibus* compositae balneo aquae cale-

facta ne vapores saturate rubros exhalet. Paulo Spiritus vel Aetheris humectata facile friabilis fit.

In vasis bene clausis servetur.

Camphora monobromata.

Aciculae aut tabulae prismaticae, coloris expertes, in aëre persistentes, odoris saporisque mitis, camphorae similis, reactionis neutrius, Aqua vix solubiles, Spiritu aut Aethere aut Chloroformo aut Acido sulphurico facile et sine colore solubiles. In lamina platinea calefacta avolet neve residuum fixum relinquat. Calore circiter 65° liquescit.

Si Camphoram monobromatam ope mixturae ex *uno volumine* Acidi sulphurici diluti et *quinque voluminibus* Spiritus compositae in calore solveris et liquori Zincum purum addideris, deinde Hydrogenio aliquamdiu emisso Argenti Nitratem admiscueris, praecipitatum fiat album, quod Spiritu addito non evanescat. Solutio spirituosa cum Argenti Nitrate cocta ne praecipitetur.

Caute servetur.

Cannabis indica.

Cannabis sativa *Linn.*

Rami florentes in India septentrionali, dum fructus maturescere incipiunt, collecti, praesertim exemplarium

feminorum. Foliola anguste lanceolata, crasse serrata, utrimque acuta, cum caulibus jam non florentibus massa resinosa plus minusve concreta sunt. Ope lentis contemplanti multae glandulae oleosae apparent. Odor fortis et peculiariter narcoticus sit, sapor levis, color viridis magis quam fuscus.

Caules necnon nuculae carinatae, ad *5 mm* magnae paucae tantummodo admixtae sint.

Caute servetur.

Cantharis.

Epicauta Gorhami *Mars.*

Scarabaeus niger, *15* ad *18 mm* longus, *4* ad *5 mm* latus, insignis capite cordis instar triangulo, cuius posterior pars laterum instar rubra est, et alis tectoriis languide nigris, quae et in margine et in media parte pilis subflavis distinctae sunt. Abdomen nitide nigrum et in quattuor aut quinque orbes lineis pilorum flavorum clar distinctos divisum est.

Bene siccata **caute** servetur.

Capsulae Copaivae.

Capsulae gelatinae *quinque decigrammata* (*0.5 gr.*) Balsami Copaivae continentes, eius qualitatis quae sub Balsamo Copaivae descripta est.

Carbo Ligni.

Carbo venalis, e ligno levi paratus contundatur et in patina clausa ardori exponatur, quoad jam nullos vapores aut gasa inflammabilia exhalet. Refrigeratus in pulverem redigatur et in vasis bene clausis servetur.

Sit pulvis niger, saporis expers; neve Aquam ebullientem tingat, neve deflagrans plus quam exiguum cineris relinquat.

Carbo Ossium.

Carbo ex ossibus aëre excluso ardori expositis paratus, deinde contusus coloris languide nigri.

Carbo Ossium purificatus.

Carbo Ossium in pulverem redactus cum Acido hydrochlorico diluto crebro et tamdiu digeratur, quoad specimen Aqua ebulliente plane elutum et combustum exiguam modo copiam residui fixi relinquat. Deinde siccatus et in patina clausa ardori expositus nondum plane refrigeratus in vasa bene claudenda infundatur.

Sit pulvis intense niger, qui cum Aqua fervefactus reactionem acidam non efficiat. Cum Acido hydrochlorico diluto calefactus deinde filtratus liquorem praebeat, qui Acido sulphydrico non mutetur.

Cardamomum.

Amomum xanthioides *Wall.*

Semina dura, angularia, testa intense fusca praedita, quae in massas oblonge globosas, circiter *unum centimetrum* magnas conglutinata esse solent et nonnunquam in capsulis corio similibus iisque aculeis appressis mollibusque praeditis inclusa sunt. Odor leviter, sapor fortiter aromaticus, non amarus est.

In vasis bene clausis servetur.

Carrageen.

Gigartina mamillosus *J. Ag.*

Thallus non maiore quam *2 dcm,* frondosus, plurus dichotomus subcorneus et laciniis terminalibus circiter *3 mm* latis insignis, coloris plus minusve flavi aut e rutilo fusci.

Aqua superfusus lubricus fiat, cum *triginta partibus* Aquae decoctum praebeat Saporis insipidi, in frigore spissum mucilagineum.

Caryophyllus.

Eugenia caryophyllata *Thunb.*

Flores non aperti, insignes tubo calycis longo, fere cylindrico, intense fusco; superne quadrilobata super quem

quattuor petala in globum convergentia et magnum numerum staminum circumdantia eminent. Caryophylli per longitudinem dissecti et chartae bibulae impressi guttas olei aetherei amittant. Odor et sapor valde aromaticus et peculiaris sit.

In vasis bene clausis servetur.

Cascarilla.

Croton Eluteria *Bennett.*

Frusta corticis fistulata aut canaliculata, *compluria centimetra* longa, ad *unum* circiter *centimetrum* lata ad *duo millimetra* crassa, tenui strato suberis saepe relaxati e griseo albi tecta, quod nonnunquam subtilibus sulcis per longitudinem et fortioribus, rimis per transversum vergentibus in areas irregulares divisum et apotheciis nigris stellatum est. Superficies a suberis strato liberata subviridis vel e griseo fusca est. Interior corticis superficies fusca et subtiliter striata, fractura levis est. Accensa fumum distincte aromaticum spargat. Sapor amarus, postea paulum urens est.

Catechu.

Uncaria Gambier *Roxb.*

Foliorum extractum aquosum, siccum, constans e frustis odoris expertibus, *2.5* ad *3 centimetra* magnis, cubicis,

intus languide luteis, extrinsecus paulum intensius coloratis, quae ope microscopi inspecta magnum numerum acicularum crystallinarum perhibeant. Sapor amariuscule adstringens, postea subdulcis est.

Aqua ebulliente aut Spiritu calido solubile sit excepto parvo residuo. Solutio aquosa Ferri Perchlorido addito colorem trahat intense subviridem.

○ Cera flava.

Apis mellifica *Linn.*

Massa flava, per fracturam granulosa, calore 63°–64° in liquorem limpidum abiens, odoris leviter mellei, ponderis specifici 0.95–0.97. Benzolo calido aut Chloroformo calido necnon *partibus* circiter *trecentis* Spiritus ferventis Cera solvatur, residuum levissimum relinquens; quae solutio spirituosa in refrigerando pulticulam crystallinam, albam excernat et plane refrigerata filtratum praebeat, quod addita Aqua non turbetur et postea Chartam exploratoriam caeruleam leviter modo, si omnino, rubefaciat.

Si *unum gramma* Cerae per dimidiam horam cum *50 cm^3* mixturae ex Aquae et Liquoris Natri caustici *voluminibus paribus* compositae aquam evaporatam supplens coxeris, liquor plane refrigeratus neve opacus appareat neve filtratum praebeat, quod Acido hydrochlorico diluto acidulatum praecipitetur.

Cerii Oxalas.

Pulvis albus, granulosus, in aëre persistens, Aqua aut Spiritu non solubilis, qui ad ardorem rubrum modicum calefactus pro *centum partibus* circiter *quinquaginta partes* pulveris relinquat sive flavi sive e flavo rubri, reactionem neutram exhibentis; hoc residuum cum Acido hydrochlorico coctum et Aqua Ammoniae supersaturatum filtratum praebeat quod neque Ammonii Oxalate neque alio Natrii Phosphate addito praecipitetur.

Si Cerii Oxalatem cum Liquore Kali caustici coxeris, deinde post refrigerationem filtratum Acido acetico supersaturaveris, Calcii Chlorido addito praecipitatum fiat album, Acido hydrochlorico solubile; hoc filtratum alkalinum neve cum Ammonii Chlorido excedente calefactum neve cum Ammonii Sulphido commixtum praecipitetur. Acido hydrochlorico solutus neve Acidum carbonicum emittat neve Acido sulphydrico mutetur.

Caute servetur.

Cetaceum.

Physeter macrocephalus *Linn.* et aliae species **Physeteris.**

Cerae species e capite physeteris deprompta et plane depurata, nitoris margantacei, coloris albi, magnis lamellis crystalline structa, ponderis specifici 0.94–0.95. Calore circiter 50° in liquorem limpidum, neutralem, odoris exigui

et peculiaris, coloris expertem liquescat. Aethere aut *quadraginta partibus* Spiritus ebullientis solvatur.

Si *unum gramma* Cetacei cum *50* cm^3 mixturae ex Aqua et Liquoris Natri caustici *voluminibus paribus* compositae per dimidiam horam, aquam evaporatam supplens, fervefeceris, liquor refrigeratus filtratum praebeat, quod Acido hydrochlorico acidulatum non praecipitetur.

Cetraria.

Cetraria islandica *Achar.*

Thallus ad *duo decimetra* magnus, foliaceus, in lacinias variae latitudinis, saepe canaliculatas aut crispas, crasse ciliatas divisus, cuius altera pars coloris est e subfusco viridis, altera albida aut grisea, maculis albis et depressis insignis.

Cum *viginti partibus* Aquae cocta, deinde refrigerata gelatinam rigidam saporis amari praebeat.

Chamomilla.

Matricaria Chamomilla *Linn.*

Anthodia radiata, ubique calva, involucro imbricato et receptaculo conico, cavo nudo circiter *quinque millimetra* alto insignia. Flores radii sunt ligulati et albidi, flores disci numerosi, flavi tubulosi. Fructiculi pappo non

coronato sunt. Odor sit peculiaris et fortiter aromaticus, sapor simul subamarus.

Charta Cantharidis.

R.

Cerae flavae *partes duodequinquaginta*.......... **48.**
Cetacei *partes duodeviginti*........................ **18.**
Olei Olivae *partes viginti quattuor*................ **24.**
Cantharidis pulveratae *partes sex*................ **6.**
Terebinthinae *partes sex*........................... **6.**
Aquae *partes sexaginta*.............................. **60.**

Per duas horas continuo agitans coque, per pannum laneum non premens cola, massam in patina plana super balneum aquae liquidam serva, deinde per superficiem segmenta chartae ita duc, ut altera modo chartae pagina aequabiliter massa liquefacta illinatur.

Charta nitrata.

R.

Kalii Nitratis *partem unam*........................ **1.**

solve

Aquae destillatae *partibus quinque*.............. **5.**

Hac solutione chartam bibulam imbue et calore modico sicca.

Charta Sinapis.

R.

Sinapis Seminis contusi.

Ad oleum pingue removendum ope Benzini Petrolei perfecte extrahe et in aëre siccatam in pulverem subtilem aequabilem redige. Cum tanto Liquoris Guttaperchae commisce, ut puls semiliquida fiat. Hanc pultem ope penicilli aequabiliter alteri lateri chartae satis crassae, gelatinatae illine ita ut pro *uno decimetro quadrato 6 grammata* Pulvis Sinapis adhibens, deinde sicca.

Ope Aquae humectata fortem odorem Olei Sinapis aetherei spargat.

Chinidini Sulphas.

Crystalli aciculares, albi, sericei, odoris expertes, in aëre persistentes, saporis peramari, reactionis sive neutrius sive levissime alkalinae, Aquae frigidae circiter *100 partibus*, Aquae ebullientis *8 partibus* solubiles, facile Spiritu necnon Chloroformi circiter *20 partibus* solubiles. In lamina platinea ignitus deflagret neve residuum fixum relinquat. Solutio aquosa Acido sulphurico acidulate perspicue fluorescat et cum Aqua Chlori permixta, si postea Aquam Ammoniae addideris, colorem viridem trahat.

Solutio aquosa Acido nitrico acidulata Baryi Nitrate addito praecipitatum album, Argenti Nitrate addito ne ullum praebeat. Acido sulphurico aut nitrico solutus

colorem, si ullum omnino, levissimum tantummodo trahat. Cum Lacte Calcis calefactus ne vapores ammoniacales exhalet.

Si *0.5 gr.* huius salis cum *10 cm³* Aquae fervidae conquassaveris et cum *0.5 gr.* Kalii Iodidi permiscueris, mixtura per dimidiam horam refrigerata, deinde de sedimento crystallino defiltrata liquorem praebeat, qui cum *nonnullis guttis* Liquoris Natri caustici permixtus, si omnino, levissime tantummodo turbetur.

Calore 120° siccatus *centum ponderis partium* ne plusquam *5* perdiderit.

Chinini Hydrobromas.

Crystalli aciculares, nitidi, coloris et odoris expertes, saporis peramari, reactionis sive neutrius sive leviter alkalinae, facile Spiritu, bene Aqua aut Aethere necnon Chloroformo solubiles. In lamina platinea ignitus deflagret neve residuum fixum relinquat. Solutio aquosa Acido sulphurico diluto addito colore caeruleo fluorescat, Argenti Nitrate addito praecipitatum praebeat album, Acido nitrico non solubile, quod defiltratum et elutum et cum Ammonii Carbonate conquassatum liquorem efficiat, qui Acido nitrico diluto acidulatus leviter tantummodo turbetur. Solutio aquosa Aqua Ammoniae addita praecipitatum praebeat album, Aethere facile et perfecte solubile; Aqua Chlori et Aqua Ammoniae additis colorem viridem trahat; Acido

sulphurico diluto nequaquam, Baryi Nitrate, si omnino, opalescens tantummodo turbetur. Acido sulphurico solutus si ullum omnino, levissimum tantummodo colorem trahat, Acido nitrico addito ne colorem rubrum trahat.

Si *1.5 gr.* huius salis in *15 cm³* Aquae fervidae et in liquore ita effecto *0.6 gr.* Natrii Sulphatis pulverati solveris, deinde solutionem per dimidiam horam calore circiter 15° sepositam filtraveris, *quinque cm³* filtrati ne plus quam *7 cm³* Aquae Ammoniae requirant ad praecipitatum initio effectum denuo solvendum.

Calore *100°* ad pondus constans siccatus *centum ponderis partium* ne plus quam *8.5* perdiderit.

Chinini Hydrochloras.

Crystalli aciculares, albi, nitidi, in aëre persistentes, odoris expertes, saporis peramari, reactionis sive neutrius sive levissime alkalinae, *34 partibus* Aquae aut *tribus partibus* Spiritus solubiles. In lamina platinea ignitus deflagret neve cinerem relinquat. Solutio aquosa Acido sulphurico diluto addito tantummodo colore caeruleo fluorescat; cum Aqua Chlori commixta, si Aquam Ammoniae instillaveris colorem viridem trahat, cum Aqua Ammoniae praecipitatum praebeat, quod Aethere facile et perfecte solvatur; cum Acido sulphurico diluto commixta nequaquam, cum Baryi Nitrate commixta, si omnino, opalescens tantummodo turbetur cum Argenti Nitrate

commixta praecipitatum praebeat magnum, album Acido nitrico diluto non solubile. Acido sulphurico, si omnino, levissime tantummodo tingatur neve Acido nitrico solutus colorem rubrum trahat. Cum Lacte Calcis fervefactus ne vapores ammoniacales exhalet.

Si *1.5 gr.* huius salis in *15 cm³* Aquae fervidae et in liquore ita effecto *0.75 gr.* Natrii Sulphatis pulverati solveris, deinde solutionem per dimidiam horam calore circiter 15° sepositum filtraveris, *5 cm³* filtrati Aquae Ammoniae ne plus quam *7 cm³* requirant ad praecipitatum initio effectum denuo solvendum.

Calore 100° ad pondus constans siccatus *centum ponderis partium* ne plus quam *9* perdiderit.

○ Chinini Sulphas.

Crystalli aciculares, albi, mollissimi, nitoris sericei, in aëre fatiscentes, odoris expertes, saporis peramari, reactionis neutrius vel leviter alkalinae, Spiritus frigidi circiter *800 partibus* ebullientis *30 partibus* solubiles. In lamina platinea ignitus deflagret neve cinerem relinquat. Solutio aquosa paulo Acidi sulphurici diluti acidulata perspicue colore caeruleo fluorescat, Aqua Chlori aut Aqua Ammoniae addita colorem viridem trahat. Solutio ope Aquae Acidum nitricum continentis effecta Baryi Nitrate addito praecipitatum album praebeat, Argenti Nitrate addito ne turbetur, Aqua Ammoniae addita praecipitatum praebeat

Aethere facile et perfecte solubile. Neve Acido sulphurico solutus colorem ullum nisi levissimum neve Acido nitrico solutus rubrum trahat. Cum Lacte Calcis fervefactus ne vapores ammoniacales exhalet.

Si *2 gr.* huius salis calore 15° cum *20 cm³* Aquae conquassaveris et per dimidiam horam seposita defiltraveris, *5 cm³* filtrati ne plus quam *7 cm³* Aquae Ammoniae requirant ad turbationem initio effectam denuo solvendam. *1 gr.* huius salis cum *7 cm³* mixturae e *2 vol.* Chloroformi et *1 vol.* Spiritus absoluti compositae leniter calefactum solutionem praebeat, quae etiam refrigerata limpida maneat.

Calore 100° ad pondus constans siccatus pro *centum partibus 12* ad *16 partes* aquae perdiderit.

Chininum.

Pulvis albus, amorphus aut subtiliter crystallinus, in aëre persistens, odoris expers, calore circiter 60° liquescens, cum Aquae circiter *1600 partibus* et cum Spiritus circiter *6 partibus* solutiones reactionis alkalinae praebens, item Acidis dilutis, Chloroformo, Aethere facile solubilis. Solutio ope Aquae Acidum sulphuricum dilutum continentis effecta colore caeruleo valde fluorescat; Aqua Chlori admixta et Aqua Ammoniae instillata colorem viridem trahat. In lamina platinea ignitum deflagret neve cinerem relinquat. Solutio ope Aquae Acidum nitricum continentis effecta neve Argenti neve Baryi Nitrate turbetur. Acido

sulphurico solutum, si omnino, levissime tantummodo flavescat neve Acido nitrico addito rubrum tingatur.

1 gr. cum *0.5 gr.* Ammonii Sulphatis et *5 cm*^{3} Aquae bene mixtum et in balneo aquae siccatum residuum praebeat reactionis non alkalinae, quod cum *10 cm*^{3} Aquae conquassatum et calore 15° per dimidiam horam maceratum filtratum praebeat, cuius *5 cm*^{3} maximum *7 cm*^{3} Aquae Ammoniae requirant ad turbationem initio effectam denuo solvendam.

Calore circiter 125° siccatum *centum ponderis partium* ne plus quam *15* perdiderit.

Chinoidinum.

Massa fusca aut e nigro fusca resinosa, satis fragilis, nitida, saporis amari, reactionis alkalinae, vix Aqua facile Spiritu, necnon Chloroformo solubilis. *Decem partibus* Aceti puri praeter exiguum residuum, *10 partibus* Spiritus diluti limpide solvatur.

Deflagrans ne plus quam *unam partem* cineris pro *centum partibus* relinquat.

○ Chlorali Hydras.

Crystalli sicci, pellucidi, lente evaporantes, coloris expertes, odoris peculiaris, paulum pungentis, saporis subamari, caustici. Facile Aqua aut Spiritu aut Aethere,

minus facile Oleis pinguibus aut Carbonei Sulphido solvuntur; calore circiter 58° liquescunt. Cum Liquore Kali caustici calefactus mixturam praebeat coloris expertem, initio turbidam, quae Chloroformum excernens limpida fiat.

Solutio spirituosa (1 : 10) neve Chartam exploratoriam caeruleam rubefaciat neve parva copia Acidi nitrici diluti addita Argenti Nitrate praecipitetur.

Cum Acidi sulphurici circiter *aequali pondere* in calore liquefactus ne colorem trahat. Fervefactus avolet neque vapores inflammabiles exhalans neque residuum fixum relinquens.

Caute in vasis bene clausis servetur.

○ Chloroformum.

Liquor limpidus, coloris expers, perfecte volatilis, calore 60° vel 61° ebulliens, odoris peculiaris, saporis subdulcis, pond. spec. 1.485 ad 1.490. Aqua aut Glycerino vix paulum, Spiritu, Aethere, Acido acetico glaciali, Oleis pinguibus facillime solvitur.

Spiritu solutum, deinde cum Liquore Kali caustici et paulo Anilini calefactum odorem spargat ingratum et penetrantem. Aqua cum Chloroformo conquassata neve Chartam exploratoriam mutet neve Argenti Nitrate turbetur neve Solutione Kalii Iodidi tingatur.

Si *aequalia volumina* Acidi sulphurici et Chloroformi in

vasculo vitreo, sicco, puro, ope epistomii clauso per complures horas saepius agitans seposueris, colorem ne trahant.

Evaporationi spontaneae in aëre expositum ne odorem alienum spargat.

Caute a luce tutum in vasis bene clausis servetur.

Chrysarobinum.

Andira Araroba *Aguiar.*

Pulvis crystallinus, coloris pallide ex aurantiaco flavi, odoris et saporis expers, Aqua vix, Spiritu paulum, Aethere aut Benzolo ebulliente facile solubilis, calore circiter 162° liquescat et deflagrans, si quid omnino, vestigia tantummodo residui fixi relinquat.

Alkaliis solutum colorem trahat e flavo rubrum, qui in aëre magis saturatus fiat. Acido sulphurico solutum colorem trahat saturatum, ad sanguinis instar rubrum.

Cina.

Artemisia maritima *Linn.* var. **Stechmanniana** *Besser.*

Anthodia clausa, subviridia vel subfusca, circiter *3 mm* longa non supra *1.5 mm* lata, 12 vel 18 involucri phyllis praedita carinatis, in magine membranaceis, glabris, quorum pars aversa glandulis minimis coloris aurei obsita est.

Odor peculiaris est, sapor paulum camphorae similis amarus. Involucri phylla includunt tres vel quinque flosculos nondum evotutos.

Ea tantummodo anthodia qui dicuntur Levantina, e Turkestan oriunda a petiolis, foliis, caulis particulis liberata adhibeantur.

O Cinchona.

Cinchona sucirubra *Pavon* et aliae **Cinchonae** species.

Trunci et ramorum cortices tubiformes vel canaliculati vel plani. Libri fractura fibris brevibus et tenuibus insignis sit; in sectura transversa microscopo adhibito fibrae libri Cinchonae peculiares apparent. Pulverata e rubro fusca sit; in tubulo vitreo calefacta picem pulchram coccineam praebeat; hoc si ratione infra descripta examinaveris, pro *centum partibus* praebeat *3.5–6 partes* Cinchonae alkaloideorum.

15 gr. corticis pulverati cum *20 gr.* Calcii Hydroxydi et *225* cm^3 Spiritus in cucurbitam immitte et, postquam hanc cum iis, quae continet, pensaveris balneo aquae ita, ut non multum Spiritus avolet, per duas horas fervefac; deinde Spiritum evaporatum supple et omnia per filtrum diametro *22 cm* filtra *150* cm^3 huius filtrati flavidi balneo aquae evapora et residuum calefaciens cum *10* cm^3 Liquoris alkalimetricae normalis exacte contere. Jam *10* cm^3 Aquae admixtis omnia per filtrum parvum in infundibulum

separatorium immitte. Filtro aliquoties minimis Aquae copiis eluto totum filtratum in infundibulo separatorio inventum cum Liquoris Natri caustici circiter *dimidio volumine* commisce. Alkaloidum liberatum ter cum *quinquagenis* cm^3 Chloroformi apte excute et Chloroformum perfecte limpidatum in cucurbitam parvam, antea accurate pensatam destilla. Alkaloidei calore 110° perfecte siccatum et ab omnibus. Chloroformi vestigiis liberati pondus sit *0.35-0.6 gr.*

Cinchonidini Sulphas.

Crystalli aciculares, albi, nitoris sericei, odoris expertes, saporis peramari, reactionis sive neutrius sive leviter alkalinae, Aquae frigidae circiter *100 partibus*, ebullientis *quinque partibus* solubiles. Spiritu facile, Aqua Acido sulphurico acidulata sine magna fluorescentia, Chloroformo autem aut Aethere vix paulum solvuntur.

In lamina platinea calefactus deflagret neve residuum fixum relinquat. Solutio aquosa Baryi Nitrate addito praecipitatum album, Argenti Nitrate addito ne ullum praebeat. Acido sulphurico aut nitrico solutus colorem ne trahat.

Si *0.5 gr.* huius salis in *20* cm^3 Aquae calefaciens solveris et *0.5 gr.* Kalii et Natrii Tartratis pulverati addideris, magnum praecipitatum fiat; mixtura refrigerata et post dimidiam horam defiltrata liquorem praebeat, qui *nonnullis*

guttis Liquore Natrii caustici additis, si omnino, leviter tantummodo turbetur.

Calore 100° et pondus constans siccatus *centum ponderis partium* ne plus quam *13* perdiderit.

Cinchonini Hydrochloras.

Crystalli aciculares, coloris expertes, in aëre persistentes, Aquae *partibus 25* Spiritus *partibus 1.3* Chloroformi *partibus* circiter *22*, Aetheris *partibus 275* solubiles. Solutio aquosa Acido sulphurico diluto acidulata neve turbetur neve, nisi levissime, fluorescat.

In lamina platinea ignitus deflagret neve residuum fixum relinquat. Solutio aquosa Acido nitrico diluto acidulata Baryi Nitrate addito ne turbetur, Argenti Nitrate addito praecipitatum magnum, album praebeat. Acido sulphurico aut nitrico solutus colorem, si ullum omnino, levissimum tantummodo trahat. Cum Lacte Calcis calefactus ne vapores ammoniacales exhalet.

Solutio aquosa (1 : 50) neve Solutione Kalii et Natrii Tartratis addita praecipitetur neve *2 voluminibus* Aquae Chlori additis et Aqua Ammoniae instillata colorem viridem trahat.

Calore 100° ad pondus constans siccatus *centum partium* ne plus quam *10* perdiderit.

Cinchonini Sulphas.

Crystalli albi, duri, in aëre persistentes, odoris expertes, saporis peramari, reactionis sive neutrius sive levissime alkalinae, Aquae frigidae circiter *70*, ebullientis *15 partibus* solubiles, Aethere non solubiles. Solutio ope Aquae Acido sulphurico acidulatae effecta, si omnino, leviter tantummodo fluorescat.

In lamina platinea ignitus deflagret neve residuum fixum relinquat. Solutio aquosa, Acido nitrico acidulata Baryi Nitrate addito praecipitatum album, Argenti Nitrate addito ne ullum praebeat. Acido sulphurico aut nitrico solutus colorem, si ullum omnino, levissimum tantummodo trahat. Cum Lacte Calcis calefactus ne vapores ammoniacales exhalet.

Solutio aquosa, frigore saturata neve Solutione Kalii et Natrii Tartratis praecipitetur neve *2 voluminibus* Aquae Chlori additis et Aqua Ammoniae instillata colorem viridem trahat.

Calore 100° ad pondus constans siccatus *centum ponderis partium* ne plus quam *5* perdiderit.

Cinnamomum.

Cinnamomum Cassia *Blume.*

Ramorum aut truncorum recentiorum cortex, ad *3 mm* crassus, forma tuborum aut semituborum diametro *5* ad *30 mm*. Intus fuscum est, in superficie e rutilo fuscum, venis

per longitudinem directis insigne aut subere e subfusco griseo, paulum rimoso tectum. Fractura brevis, non fibrosa est, odor gratus et peculiaris, sapor subdulcis et fortiter aromaticus.

Codeinum.

Crystalli coloris expertes vel e subflavo albi, calore fatiscentes, cum *80 partibus* Aquae solutionem reactionis alkalinae et saporis amari praebentes. Aquae Ammoniae eadem atque Aquae proportione, Liquore Kali caustici paulum modo solvitur. Spiritu, Chloroformo, Aethere, Aqua acidulata leviter et sine colore solvatur. In lamina platinea calefactum deflagret neve cinerem relinquat. Cum Aqua coctum, priusquam solvatur, liquescat.

Solutio ope Aquae Acido sulphurico diluto leviter acidulatae effecta Acido iodico ne coloretur. Solutio aquosa Hydrargyri Perchlorido ne praecipitetur. Solutio Acido sulphurico effecta coloris expers sit; leniter calefacta, si paulum Solutionis Ferri Perchloridi dilutae addideris, colorem saturate caeruleum trahat.

Caute servetur.

Coffeinum.

Crystalli aciculares, nitoris sericei, albi, tenues, longi, flexibiles, odoris expertes, reactionis neutrius, saporis sub-

amari, Aquae frigidae *partibus* circiter *80*, Aqua ebulliente facile, Spiritus *partibus* circiter *50*, Chloroformi *partibus* *9*, Aethere paulum solubiles. Solutio aquosa fervide saturata refrigerando in pultem crystallinam concrescit.

In lamina platinea calefactum avolet neve postremo residuum fixum relinquat. Acido sulphurico aut nitrico sine colore solvatur. Solutio aquosa Solutione Hydrargyri et Kalii Iodidi addita ne ullum, Acido tannico addito magnum praebeat praecipitatum, praecipitamento excedente solubile; Aqua Chlori addita ne turbetur. Aqua Chlori solutum et in balneo aquae evaporatum residuum praebeat e flavo rubrum, quod paulo Aquae Ammoniae addito colorem purpureum trahat.

Calore 100° siccatum pro *centum partibus* ne plus quam *9 partes* aquae perdiderit.

Caute servetur.

Colchicum.

Colchicum autumnale *Linn.*

Semina prope globosa, caruncula paulum acuminata, diametro non maiore quam *3 mm*, odoris expertia, testa dura et delicatissimis punctis distincta insignia. Extrinsecus fusca sunt, intus cornea et e subgriseo alba; sapor peramarus et acer est.

Caute servetur.

Collodium.

R.

Acidi nitrici pond. spec. 1.380 *partes quadringentas* .... **400.**

Acidi sulphurici crudi *partes mille* .... **1000.**

Caute misce.

In mixturam ad 20° refrigeratam

Gossypii depurati *partes quinquaginta quinque* **55.**

imprime, deinde per 24 horas calore 15°–20° sepone.

Tum mixtura infundibulo imposita, ut acida supervacanea immixta destillent, per 24 horas seponatur.

Lana Collodii remanens ope Aquae, quoad omni Acido liberata sit, eluta exprimatur et calore 25° siccetur.

Huius **Lanae Collodii** *partes duas* .... **2.**

cum

Spiritus *partibus octo* .... **8.**

et

Aetheris *partibus decem* .... **10.**

bene conquassa. Post 24 horas agitans

Aetheris *partes triginta* .... **30.**

adde, deinde per complures hebdomades sepone, tum limpide decantha.

Sit liquor limpidus aut leviter tantummodo flavescens, reactionis neutrius, consistentia syrupi in stratis tenuibus Aethere Spirituque evaporatio membranam coloris expertem, solide consistentem relinquens.

In vasis bene clausis loco frigido servetur.

Collodium cantharidatum.

R.

Cantharidum crasse pulveratarum *partes duas* 2.

Macera per triduum cum

Aetheris *partibus tribus* .... 3.

Filtra et residuum tamdiu cum

Aethere elue quoad *duae partes* .... 2.

filtrati effectae sint. Tum haec misce cum

Collodii *partibus duabus* .... 2.

et **caute** in vasis bene clausis serva.

Collodium elasticum.

R.

Collodii *partes triginta* .... 30.

Olei Ricini *partem unam* .... 1.

Conquassando misce.

In vasis bene clausis serva.

Colocynthis.

Citrullus Colocynthis *Schrad.*

Fructus decorticati et siccati carnem levem, spongiosam, albidam, mollissimam et multa semina ovata compressaque continentes. Odoris expertes sunt, saporis peramari. Seminibus remotis adhibeantur.

Caute servetur.

Colombo.

Iateorrhiza Calumba *Micrs.*

Radices, quae in mercatura veneunt ut disci rotundi aut elliptici diametro *3–6 cm, 3–12 mm* crassi, plus minusve adunci, extrinsecus rugosi et e griseo fusci, intus subvirides aut a subfusco flavi, in media parte tenuiores quam in margine. Margo torosus zona cambii coloris magis saturati, paulum undulata multis lineis radialibus intersecta dividitur. Discus depressior multos fasciculos ligneos dispersos ad auri instar flavos continet. Radix saporem peramarum praebet et Solutione Iodi caerulea tingitur.

Crocus.

Crocus sativus *Linn.*

Stigmata coloris saturate aurantiaci, quae aqua mollita ut tubi appareant circiter *3 cm* longi, filiformes, quorum superior pars cuneatim dilatata et in margine crenato-dentata et altero latere scissa sit. Parva tantummodo copia stylorum pallide flavorum admixta sit. Odor fortis et aromaticus est, sapor simul subamarus. Calore 100° siccatus *centum partium* ne plus quam *15* perdiderit, in cinerem redactus pro *centum partibus* ne plus quam *8 partes* residui fixi relinquat.

Extractum aquosum (1 : 10) sit coloris e flavo rubri neve saporem dulcem exhibeat. Inmerce ope aquae mollita ne aliena corpora admixta inveniantur.

A luce tutus servetur.

Cubeba.

Cubeba officinalis *Miq.*

Fructus siccati, immaturi, prope globosi, diametro *5 mm* non superante, in basi in stipitem tenuem, ad *6 mm* longum attenuati superne stigmate edito praediti. Pericarpium tenue, reticulatim rugosum est et unum semen basi affixum plerumque corrugatum includit. Sapor urens et aromaticus est.

Cupri Alumen.

Lapis divinus.

R.

Cupri Sulphatis *partes decem*........................ **10.**

Kalii Nitratis *partes decem*........................... **10.**

Aluminis *partes decem*.................................. **10.**

Mixturam pulveratam in pattela porcellanea balneo arenario calefac, quoad massa liquefacta sit; tum admisce

Camphorae pulveratae *partem unam*.............. **1.**

In patellam porcelaneam vel in vas ad bacillos fingendos accomodatum effunde.

Sit massa sicca, ex albo subcaerulea, camphoram redolens, quae sedecim partibus Aquae parvo residuo excepto solvatur.

Caute in vasis bene clausis servetur.

○ Cupri Sulphas.

Crystalli diaphani, caerulei, triclinici, in aëre sicco lente fatiscentes, Aquae frigidae *partibus 3.5* aut ebullientis *parte una* solubiles, Spiritu non solubiles.

Solutio aquosa Baryi Nitrate addito praecipitatum praebet album, Acido hydrochlorico non solubile, Aqua Ammoniae excedente addita solutionem limpidam, saturate caeruleam.

Si solutionem aquosam cum Acido hydrochlorico commixtam Acido sulphydrico saturaveris et praecipitatum nigrum defiltraveris, filtratum Natrii Carbonate supersaturatum ne praecipitetur; evaporatum ne quid relinquat residui fixi.

Caute servetur.

○ Digitalis.

Digitalis purpurea *Linn.*

Folia oblonge ovata, *1* ad *3 decimetra* longa, ad *unum dcm* lata, in petiolum attenuata, impariter et obtuse dentata, rugosa, subtus tomento pilorum simplicium, non implicatorum praedita et reticulo nervorum valde distincto ramosoque insignia. Sapor amarus et insuavis est.

De planta florente colligatur et cito siccetur.

Caute non supra unum annum servetur.

Elaeosaccharum.

R.

Sacchari pulverati *grammata duo*................. 2.

Olei aetherei praescripti *guttam unam*.......... 1.

Misce.

Ad dispensandum tantummodo paretur.

Electuarium Sennae.

R.

Tamarindum.

Paulo Aquae fervidae, quoad pulpa aequabilis facta sit, mollitum per cribrum setosum tere.

Huius **Pulpae** *partes quinquaginta*................ 50.

cum

Syrupi simplicis *partibus quadraginta*.......... 40.

et

Foliorum Sennae in pulverem subtilem reductorum *partibus decem* .... 10.

accurate commisceantur et in balneo aquae califiant ad consistentiam electuarii.

Sit e subviridi fuscum.

Loco sicco et frigido servetur.

○ Emplastrum adhaesivum anglicum.

R.

Ichthyocollae *partes decem* .... 10.

Aqua fervida solve ut fiant

Colaturae *partes centum viginti* .... 120.

Huius **Solutionis** *partibus sexaginta* .... 60.

taffetas, qui dicitur, sericeus, albus expansus ope penicilli saepius ita indicatur, ut post singulas inductiones siccetur. Tum reliquae *sexaginta partes* Solutionis Ichthyocollae paulatim misceantur cum

Spiritus *partibus quadraginta* .... 40.

Glycerini *parte una* .... 1.

Hac mixtura taffetas iterum eodem modo inducatur; postremo taffetae dorsum sufficiente copia Tincturae Benzoës illinatur, tum emplastrum bene siccetur, sit nitidum; madefactum cuti bene adhaereat. *Unum gramma* Ichthyocollae ad *150 centimetra quadrata* Emplastri paranda adhibeatur.

Loco sicco servetur.

Emplastrum Belladonnae.

R.

Emplastri resinae *partes nonaginta* .... 90.

In balneo aquae liquefac et exacte admisce

Extracti Belladonnae *partes decem* .... 10.

Sit emplastrum fuscum.

○ Emplastrum Cantharidis.

R.

Cantharidis pulveratae *partes quinquaginta*... 50.

Olei Olivae *partes viginti quinque*................ 25.

Per nonnullas horas digere. Tum adde

Cerae flavae *partes centum* .... 100.

Terebinthinae *partes viginti quinque*............ 25.

In balneo aquae liquefactas exacte misce.

Sit emplastrum molle.

Emplastrum gummosum.

R.

Emplastri Plumbi *partes septuaginta*............ 70.

Cerae flavae *partes novem*............................ 9.

In balneo aquae liquefac et massae semirefrigeratae adde

Galbani pulverati *partes septem*..................... 7.

Ammoniaci pulverati *partes septem*.............. 7.

Terebinthinae *partes septem*......................... 7.

antea in balneo aquae calefactas et commixtas.

Massam perfecte refrigeratam et aequabilem in bacillos convolve.

Sit emplastrum e subfusco flavum.

Emplastrum Hydrargyri.

R.

Hydrargyri *partes viginti*........................ 20.

Terebinthinae *partes decem*...................... 10.

Hydrargyrum cum Terebinthina paulo Olei Terebinthinae addito exactissime contere et accurate misce cum mixtura

Emplastri plumbi *partibus sexaginta*........... 60.

et

Cerae flavae *partibus decem*..................... 10.

liquefaciendis parata et semirefrigerata.

Sit emplastrum griseum; oculo nudo ne ulli globuli Hydrargyri conspicui sint.

Emplastrum Opii.

R.

Extracti Opii *partem unam*........................ 1.

Aquae *partem unam*.................................. 1.

In balneo aquae calefac, quoad extractum aequabile et molle factum sit, deinde accurate misce cum

Emplastri resinae *partibus novem*................ 9.

antea in balneo aquae liquefactis mixturam calefac, quoad Aqua evaporata sit, et perfecte refrigeratam in bacillos convolve.

Sit emplastrum fuscum.

Emplastrum Plumbi.

℞.

Olei Olivae

Adipis

Plumbi Oxydi, in pulverem subtilem redacti
singulorum partes aequales.

Igne modico assidue agitans et interdum Aquam calidam instillans coque, quoad emplastrum factum sit, deinde in bacillos convolve.

Sit albidum, tenax, non pingue, neve Plumbi Oxydum liberum contineat.

○ Emplastrum Resinae.

℞.

Emplastri Plumbi *partes octoginta* .... **80.**

Resinae Pini *partes quattuordecim* .... **14.**

Cerae flavae *partes sex* .... **6.**

Emplastrum Plumbi et Ceram flavam igne modico liquefac, deinde Resinam adde et misce.

Sit emplastrum subflavum.

Ergota.

Secale cornutum.

Claviceps purpurea *Tul.*

Fungus in secali et aliis gramineis crescens eo tempore, quo ex incrementis capiendis requiescit, collectus forma

rotundate triangulari, aut quadrangulari, plerumque paulum curvata, ad *centimetra* circiter *2.5* longus, *4 millimetra* crassus, per longitudinem intense sulcatus, extrinsecus e violaceo niger, intus albidus, appendice flavida apici insidente, saepe autem discissa insignis. Sapor ingratus et insipidus est, odor peculiaris insuavis, non rancidus, quem cum Kali Hydrate trita vehementius exhalat.

Ad dispensandum semper recens Ergota in pulverem redigatur.

Caute et bene siccata non ultra unum annum servetur.

Eucalyptus.

Eucalyptus globulus *Labill.*

Folia ovate sive curvate lanceolata, circiter *10* ad *12 centimetra* longa et *3* ad *7 centimetra* lata, integra, acuta, breviter petiolata, coriacea, glabra, e caeruleo viridia, glandibus oleaceis insignia, quae si contra lucem apprehenderis, punctis diaphanis distincta apparent, odoris saporisque admodum aromatici.

Extractum Aloës.

R.

Aloës *partem unam*.................................... **1.**

Superfunde

Aquae ebullientis *partes quinque*................... **5.**

Duobus diebus interjectis liquorem de resina separata decantha et ad extractum siccum evapora.

Sit e flavo fuscum et Aqua turbide solubile.

○ Extractum Belladonnae.

R.

Foliorum recentium Atropae Belladonnae florentis *partes viginti* .... **20.**

Insperge

Aquae *partem unam* .... **1.**

in mortario lapideo contunde, deinde fortiter exprime et

Aquae *partibus tribus* .... **3.**

infusis repete.

Liquores expressos commisce, ad 80° calefac, cola, in balneo aquae evapora ad *partes duas* .... **2.**

quas cum

Spiritus *partibus duabus* .... **2.**

commixtas per viginti quattuor horas, nonnunquam agitans seponas, tum cola. Residuum fortiter exprimatur, deinde cum

Spiritus diluti *parte una* .... **1.**

contritum iterum exprimatur. E colaturis commixtis et filtratis extractum spissum paretur.

Sit saturate fuscum, cum Aqua solutionem praebeat fuscam et prope limpidam.

Caute servetur.

Extractum Cannabis indicae.

R.

Cannabis indicae *partem unam*........................ **1.**

Per sex dies macera cum

Spiritus *partibus quinque*............................ **5.**

Cola et exprime, deinde residuum iterum per triduum macera cum

Spiritus *partibus quinque*............................ **5.**

Colaturae filtratae ad extractum spissum evaporent.

Sit e nigro viride, Aqua non solubile.

Caute servetur.

Extractum Cascarillae.

R.

Cascarillae crasse pulveratae *partem unam*... **1.**

Superfunde

Aquae ebullientis *partes quinque*.................. **5.**

Per viginti quattuor horas sepone, deinde exprime. Residuum iterum

Aquae ebullientis *partibus quinque*............... **5.**

superfusis per viginti quattuor horas sepone. Colaturae commixtae et aliquamdiu sepositae decanthentur et ad extractum spissum evaporent.

Sit saturate fuscum et Aqua turbide solubile.

Extractum Cinchonae.

R.

Cinchonae *partem unam* .... 1.

Per sex dies saepius agitans macera cum

Spiritus diluti *partibus quinque* .... 5.

Cola et exprime, deinde residuum iterum per triduum macera cum

Spiritus diluti *partibus quinque* .... 5.

Colaturae expressae et filtratae ad extractum siccum evaporent.

Sit e rubro fuscum et Aqua turbide solubile.

Extractum Colocynthidis.

R.

Colocynthidis a Seminibus liberatae et crasse dissectae *partes duas* .... 2.

Superfunde

Spiritus *partes decem* .... 10.

et

Aquae *partes quinque* .... 5.

Per sex dies saepius agitans macera, deinde exprime. Residuo infunde

Spiritus *partes quattuor* .... 4.

et

Aquae *partes sex* .... 6.

Deinde iterum per triduum macera. Colaturae commixtae

ad extractum siccum evaporent.

Sit e flavo fuscum et Aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Colombo.

R.

Colombo crasse pulverati *partem unam*......... 1.

Per triduum saepius agitans macera cum

Spiritus *partibus duabus*.............................. 2.

et

Aquae *partibus duabus*................................. 2.

antea commixtis. Cola et exprime, deinde residuum iterum per biduum macera cum

Spiritus *parte una*.................................... 1.

et

Aquae *parte una*....................................... 1.

antea commixtis. Colaturae filtratae in extractum siccum redigantur.

Sit fuscum et Aqua turbide solubile.

○ Extractum Ergotae.

Extractum Secalis cornuti.

R.

Ergotae crasse pulveratae *partes decem*....... 10.

et

Aquae destillatae *partes viginti*.................. 20.

Per sex horas macera, deinde exprime et residuum iterum per sex horas macera

Aquae destillatae *partibus viginti*............... 20.

Colaturae commixtae ad partes sex........................ 6.

evaporent; huic residuo adde

Spiritus diluti *partes quattuor*...................... 4.

Per triduum saepius agitans seponatur, deinde liquor filtratus ad extractum spissum evaporet.

Sit fuscum et Aqua limpide solubile.

Caute servetur.

○ Extractum Filicis.

℞.

Filicis maris recenter siccati et pulverati *partem unam*.. 1.

Superfunde

Aetheris *partes tres*.................................... 3.

In vase bene clauso per triduum macera, deinde liquorem decantha. Residuo iterum infunde

Aetheris *partes duas*.................................. 2.

et maceratione per triduum repetita liquorem exprime. Colaturae commixtae et filtratae evaporent, quoad omni Aethere remoto extractum tenue factum sit.

Sit subviride, Aqua non solubile, Aethere autem limpide solubile.

○ Extractum Gentianae.

R.

Gentianae dissectae *partem unam*................ 1.

Superfunde

Aquae *partes quinque*................................ 5.

Per biduum macera, deinde exprime. Residuo infunde

Aquae *partes quinque*................................ 5.

Per duodecim horas macera et exprime. E colaturis commixtis et coctis, deinde sepositis et limpidatis extractum spissum paretur.

Sit fuscum et Aqua limpide solubile.

Extractum Glycyrrhizae.

E **Glycyrrhizae dissecta** sicut Extractum Gentianae paretur.

Sit fuscum et Aqua limpide solubile.

Extractum Glycyrrhizae venale.

Sucus Liquiritiae.

Extractum venale, Glycyrrhiza coquenda paratum et in formam cylindrorum nigrorum, nitentium, circiter *1.5 dcm* longorum et ad *3 cm* crassorum redactum.

Fractura sit acris et conchae similis, sapor dulcissimus; *centum partium* minimum *sexaginta* Aqua frigida solvantur.

Microscopi ope contemplanti ne amyli granula cognoscantur.

Extractum Granati.

R.

Granati recenter siccati et crasse pulverati *partes decem* .... **10.**

Superfunde

Spiritus *partes viginti quattuor* .... **24.**

et

Aquae *partes sedecim* .... **16.**

antea commixtas. Per triduum macera, deinde exprime. Residuo denuo infunde

Spiritus *partes duodecim* .... **12.**

et

Aquae *partes octo* .... **8.**

Iterum per biduum macera, deinde exprime. Colaturae commixtae ad extractum siccum evaporent.

Sit saturate fuscum et Aqua turbide solubile.

O Extractum Hyoscyami.

E **foliis recentibus et parvis ramulis Hyoscyami florentis** sicut Extractum Belladonnae paretur.

Sit e subviridi fuscum et Aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Opii.

R.

Opii pulverati *partem unam* .... 1.

Superfunde

Aquae destillatae *partes quattuor* .... 4.

Per viginti quattuor horas saepius agitans macera, deinde exprimens, cola. Residuo iterum infunde

Aquae destillatae *partes tres* .... 3.

Maceratione per viginti quattuor horas repetita exprimens cola. E colaturis commixtis et filtratis, sepositis deinde extractum siccum paretur.

Sit e rubro fuscum et Aqua turbide solubile.

Si *3.6 gr.* Extracti in Aquae *60 gr.* solveris et filtrati *42.5 gr.* ea ratione quae sub Opio descripta est, tractaveris, ne minus quam *0.4 gr.* Morphini praebeant.

Caute servetur.

Extractum Physostigmatis.

R.

Physostigmatis crasse pulverati *partes decem* **10.**

superfunde

Spiritus *partes viginti quattuor* .... **24.**

et

Aquae *partes sedecim* .... **16.**

antea commixtas; per triduum digere, deinde exprimens cola. Residuo iterum infunde

Spiritus *partes viginti quattuor*..................... 24.

Aquae *partes sedecim*.................................. 16.

Digestione per unum diem repetita exprimens cola. Colaturae commixtae et filtratae ad *tertiam voluminis partem* evaporent; loco frigido sepositae, deinde filtratae in extractum spissum redigantur.

Sit fuscum et Spiritu diluto solubile, Aqua non solubile.

Cautissime servetur.

Extractum Pomi ferratum.

R.

Pomorum acidorum *partes quinquaginta*...... 50.

in pultem contunde, deinde exprime. Sucum paratum in balneo aquae cum

Ferri pulverati *parte una*.......................... 1.

calefac, quoad gas evolvere desierit, tum tantum Aquae adde, ut pondus valeat *partes quinquaginta*.............. 50.

Liquor per complures dies sepositus, deinde filtratus ad extractum spissum evaporet.

Sit subviridi nigrum et Aqua limpide solubile.

Extractum Rhei.

R.

Rhei minutim dissecti *partes duas*.............. 2.

Superfunde

Spiritus *partes quattuor* .... 4.

et

Aquae *partes sex* .... 6.

per viginti quattuor horas macera, deinde exprime, residuo iterum infunde

Spiritus *partes duas* .... 2.

et

Aquae *partes tres* .... 3.

Maceratione per viginti quattuor horas repetita exprime. Colaturae commixtae et filtratae in extractum siccum redigantur.

Sit e subflavo fuscum et Aqua turbide solubile.

O Extractum Strychni.

Extractum Nucis vomicae.

℞.

Strychni seminis crasse pulverati *partes decem* .... 10.

Superfunde

Spiritus diluti *partes viginti* .... 20.

Per viginti quattuor horas saepius agitans digere, deinde cola et exprime. Residuum

Spiritus diluti *partibus quindecim* .... 15.

adhibitis eodem modo tracta. Colaturae commixtae et filtratae ad extractum siccum evaporent.

Sit fuscum et Aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Extractum Taraxaci.

℞.

Plantae Taraxaci officinalis integrae, veris tempore ante anthesin collectae, siccatae, dissectae *partem unam*.......................... **1.**

Superfunde

Aquae *partes quinque*............................... **5.**

Per biduum macera, deinde exprime; residuo iterum infunde

Aquae *partes quinque*............................... **5.**

et operationes priores repete. Colaturae commixtae, coctae, colatae in extractum spissum redigantur.

Sit fuscum et Aqua limpide solubile.

Ferri Citras.

℞.

Liquorem Ferri Citratis.

Calore 60° non superante ad syrupi consistentiam evaporatum et in laminis vitreis ad strata tenuia expansum calore modico sicca, quoad lamellae possint separari.

Sint lamellae diaphanae e rubro fuscae, in aëre persistentes, odoris expertes, reactionis acidae, quae Aqua frigida lente, sed perfecte, Spiritu non solvantur.

Solutio aquosa cum Kalii Ferrocyanido colorem e caeruleo viridem exhibeat, qui paulo Acidi hydrochlorici addito in saturate caeruleum mutetur; Aqua Ammoniae addita ne praecipitetur. Si solutionem aquosam saturatam cum Liquore Kali caustici coxeris, quoad omne Ferrum in praecipitatum fuscum redactum sit, neve vapores ammoniacalis exhalentur neve filtratum Acido acetico acidulatum, etiamsi maius temporis spatium interjeceris, praecipitatum praebeat crystallinum.

In aëre ignitus residuum relinquat e Ferri Oxydo constans fuscum, reactionis non alkalinae, quod pro *centum partibus* salis minimum *viginti quinque partes* valeat.

Ferri et Ammonii Citras.

R.

Liquoris Ferri Citratis *partes tres*................ **3.**

Aquae Ammoniae *partem unam*.................. **1.**

misce et mixturam calore 60° non superante ad syrupi consistentiam evaporatam et in laminis vitreis ad strata tenuia expansam calore modico sicca, quoad lamellae possint separari.

Sint lamellae diaphanae, nitidae, hygroscopicae, odoris expertes, coloris e rubro fusci, reactionis neutrius. Aqua facile, Spiritu non solvantur.

Solutio aquosa cum Kalii Ferrocyanido nisi paulum Acidi hydrochlorici addideris ne colorem caeruleum exhi-

beat. Si solutionem aquosam concentratam cum Liquore Kali caustici excedente coxeris, quoad omne Ferrum in praecipitatum fuscum redactum sit, filtratum Acido acetico acidulatum ne maiore quidem spatio interjecto praecipitatum praebeat crystallinum.

In aëre ignitus carbonescat et vapores ammoniacales exhalet, postremo residuum relinquat fuscum reactionis non alkalinae, quod pro *centum partibus* salis adhibiti circiter *viginti quinque partes* valeat.

A luce tutus in vasis bene clausis servetur.

Ferri et Chinini Citras.

R.

Liquoris Ferri Citratis *partes quindecim*...... **15.**

Chinini *partem unam*................................ **1.**

Calore 60° non superante calefac, quoad solutio facta sit; hanc ad syrupi consistentiam evaporatam et in laminis vitreis ad strata tenuia expansam calore modico sicca, quoad lamellae possint separari.

Sint lamellae diaphanae, tenues, e rubro vel e subflavo fuscae, leviter hygroscopicae, odoris expertes, reactionis leviter acide, saporis amari et ferrum revocantes. Aqua frigida lente sed perfecte, Spiritu paulum tantummodo solvantur.

In aëre ignitus deflagret et residuum relinquat e Ferri Oxydo constans, reactionis non alkalinae.

Si solutionem aquosam saturatam cum Liquore Kali caustici coxeris, quoad omne Ferri Oxydum praecipitatum sit neve vapores ammoniacales exhalentur, neve filtratum Acido acetico acidulatum, etiamsi maius temporis spatium interjeceris, praecipitatum praebeat crystallinum. Solutio aquosa *nonnullis guttis*, Acidi hydrochlorici commixtis Kalii Ferrocyanido addito colorem exhibeat saturate caeruleum, Baryi Nitrate addito si omnino levissime tantummodo turbetur.

Si *4 gr.* huius salis ope *1 gr.* Acidi citrici et *40 cm³* Aquae calefaciens solveris, deinde in infundibulum separatorium immissa et cum Liquore Natri caustici excedente et *30 cm³* Chloroformi commixta fortiter conquassaveris, mixtura seposita duo strata exhibeat limpida. Si strato Chloroformi in vas, cuius pondus antea exegeris, limpide immisso, liquorem fuscum aquosum bis cum *vicenis cm³* Chloroformi conquassans extraxeris, solutiones Chloroformi commixtae omni Chloroformo destillato residuum relinquant, quod calore 110° siccatum prope *0.5 gr.* valeat, id quod *12 partibus* Chinini anhydri in *centum partibus* respondet. Ad reagentia hoc residuum se habeat sicut sub Chinino dictum est.

A luce tutus in vasis bene clausis servetur.

Ferri et Kalii Tartras.

R.

Liquoris Ferri Persulphatis *partes duodecim* **12.**
Decemplici pondere Aquae dilue et hanc solutionem agitans infunde in

Aquae Ammoniae *partes decem*.................. **10.**
antea dilutas

Aquae *partibus viginti* .... **20.**
Praecipitatum ita effectum ope Aquae communis, postea Aquae destillata tamdiu elue, ut filtratum Baryi Nitrate levissime tantummodo turbetur. Tum praecipitatum humidum cum

Aquae destillatae *partibus triginta* .... **30.**
et

Kalii Bitartratis *partibus quattuor* .... **4.**
in balneo aquae, calore 60° non superante calefac, quoad agitans solveris. Solutionem calidam filtra et filtratum per viginti quattuor horas loco obscuro et frigido sepone, praecipitatum ita effectum agitando aequabiliter cum liquore misce et caute tantum Aquae Ammoniae adde, quantum sufficiat ad praecipitatum solvendum; tum liquorem ad syrupi consistentiam evapora et ad strata tenuia in laminis vitreis expansum, calore modico siccare perge, quoad lamellae possint separari.

Sint lamellae diaphanae, nitidae, leviter hygroscopicae, odoris expertes, coloris e rubro fusci, reactionis neutrius. Aqua facillime, Spiritu non solvantur. Solutio aquosa nisi

paulum Acidi hydrochlorici addideris, Kalii Ferrocyanido ne caerulea tingatur. Cum Aqua Ammoniae commixta ne praecipitatum praebeat.

Si solutionem aquosam concentratam cum Liquore Kali caustici excedente coxeris, quoad omne Ferrum in praecipitatum fuscum redactum sit, filtratum coloris expers Acido acetico acidulatum praecipitatum praebeat album, crystallinum. In aëre ignitus odorem spargat sacchari incensi et residuum relinquat fuscum reactionis fortiter alkalinae, quod pro *centum partibus* salis adhibiti circiter *60 partes* valeat et circiter *30 partes* Ferri Oxydi Aqua insolubilis contineat.

A luce tutus in vasis bene clausis servetur.

Ferri Iodidum saccharatum.

R.

Fili ferri, nitidi, tenuis, minute dissecti *partes sex* .... **6.**

Aquae destillatae *partes viginti* .... **20.**

Iodi *partes septendecim* .... **17.**

In cucurbita vitrea misce et saepius agitans loco calido sepone, quoad solutionis color fuscus in subviridem transierit. Tum liquorem filtra, cucurbitam et filtrum paulo Aquae elue, filtrata immite in patellam, quae contineat

Sacchari Lactis *partes quadraginta* .... **40.**

Mixturam in balneo aquae agitans evapora deinde massam

celeriter in mortarium ferreum calefactum immitte, quoad contineat

Sacchari Lactis pulverati *partes quadraginta*... **40.**

Omnia in pulverem siccum redacta in vasis parvis, bene clausis, loco frigido, **Caute** et a luce tuto serva.

Sit pulvis e subflavo albus aut subgriseus, valde hygroscopicus saporis mitis, ferrum revocantis, reactionis leviter acidae, qui cum *septem partibus* Aquae solutionem vix turbidam praebeat. In aëre ignitus deflagret iodi vapores exhalans et odorem sacchari incensi spargens, postremo residuum relinquens reactionis non alkalinae. Solutio aquosa cum amyli solutione commixta, nisi paulum Aquae Chlori addideris ne colorem saturate caeruleum trahat.

5 gr. huius praeparati cum *35* cm^3 Aquae commixta, ut constanter colore rutilo turbentur requirant *15–16* cm^3 Liquoris Hydrargyri Perchloridi volumetrici, id quod circiter *20 partibus* Ferri Iodidi in *centum partibus* respondet.

Ferri Lactas.

Crustae aut pulvis, e subviridi albus, e crystallis parvis acicularibus consistens, odoris lenis, peculiaris, Aquae *partibus 50* solubilis. Solutio aquosa saturata e subviridi flava sit, reactionem praebeat leviter acidam; Kalii Ferricyanido addito magnum praecipitatum exhibeat caeruleum; si Plumbi Acetatem aut paulo Acidi hydrochlorici antea

admixto Acidum sulphydricum addideris opalescens tantummodo et sine colore turbetur. Cum Acido sulphurico in pultem tenuem commixtus ne gas emittat.

Si *0.5 gr.* huius salis cum *5* cm^3 Acidi hydrochlorici diluti aliquamdiu coxeris et Liquore Natri caustici supersaturata calefacere perrexeris, liquor limpidatus ne colorem exhibeat. In aëre ignitus odorem spargat sacchari incensi et postremo residuum relinquat reactionis non alkalinae, cuius pondus circiter *27 partes* valeat pro *centum partibus* salis exhibiti. Si hoc residuum cum Acido hydrochlorico diluto coxeris et liquorem Aqua Ammoniae supersaturaveris, filtratum evaporatum ne quid residui fixi relinquat.

In vasis bene clausis servetur.

Ferri Perchloridum.

Massa coloris subfusci vel aurantiaci, crystallina, valde hygroscopica, odoris levis, Acidum hydrochloricum revocantis, reactionis acidae. Aqua facile, item Spiritu aut Aethere perfecte solvatur. Si bacillum vitreum Aqua Ammoniae humectatum prope admoveris, ne nebulae albae, neve si Chartam Zinci Iodidi et Amyli humidam admoveris, color caeruleus appareat.

Solutio aquosa Argenti Nitrate addito magnum praecipitatum praebeat album, Acido nitrico diluto non solubile; Acido hydrochlorico diluto acidulata Kalii Ferrocyanido addito colorem trahat saturate caeruleum.

Solutio aquosa (1 : 5) cum *pari volumine* Aquae Ammoniae commixta et calefacta filtratum praebeat coloris expers, quod neque Acido sulphydrico, etiamsi Acido hydrochlorico diluto acidulatum, praecipitetur aut coloretur neque evaporatum et leni ardori expositum residuum fixum relinquat. Si hoc filtratum cum *pari volumine* Acidi sulphurici refrigerans paulatim commiscueris, deinde Solutionem Ferri Sulphatis saturatam superstraveris, in zona qua liquores separantur ne color fuscus appareat. Solutio aquosa (1 : 100) neve coquendo turbetur neve Baryi Nitrate addito intra quinque minutas turbetur neve Kalii Ferricyanido caerulea tingatur.

In lagoenis, quae epistomiis vitreis bene claudantur, a luce tutum servetur.

○ Ferri Subcarbonas.

Pulvis subtilissimus, amorphus, odoris expers, e rutilo fuscus, reactionis neutrius, qui cum Aqua conquassatus nihil solubile amittat, Acido autem hydrochlorico diluto leviter effervescens perfecte solvatur. Haec solutio Kalii Ferrocyanido addito colorem efficiat caeruleum. Solutio Acido nitrico effecta et Aqua diluta (1 : 20) Argenti aut Baryi Nitrate, si omnino, opalescens tantummodo turbetur.

Solutio Acido hydrochlorico effecta et cum Aqua Ammoniae excedente calefacta filtratum praebeat limpidum et coloris expers, quod neque Acido sulphydrico, etiamsi

antea Acido hydrochlorico acidulatum, neque Natrii Carbonate mutetur.

○ Ferri Sulphas.

R.

Fili ferri purissimi, tenusi *partes duas* .... 2.

Solve, postremo calefaciens, in mixtura constante ex

Aquae destillatae *partibus octo* .... 8.

et

Acidi sulphurici *partibus tribus* .... 3.

Postquam gas emittere fere desierit, solutionem nondum refrigeratum filtra et liquorem filtratum agitans immitte in

Spiritus *partes quattuor* .... 4.

Pulvis crystallinus, subtilis ita effectus statim in filtro ope spiritus abluatur, deinde expressus, celeriter in charta bibuta expansus calore ordinario si fieri potest, solis luce siccetur.

Sit pulvis crystallinus, in aëre sicco fatiscens, qui *1.8 partibus* Aquae solvatur colorem subviridem exhibens. Solutio aquosa, valde diluta Kalii Ferricyanido addito colorem efficiat saturate caeruleum, Baryi Nitrate addito praecipitatum praebeat album, Acido nitrico non solubile.

2 gr. huius salis aqua soluta et cum Acido nitrico cocta, quoad perfecte oxydaverint, deinde cum Aqua Ammoniae excedente commixta filtratum praebeant coloris expers, quod neque Ammonii Sulphido turbetur, neque evapora-

tum et ignitum residuum fixum relinquat.

In vasis bene clausis servetur.

Ferri Sulphas crudus.

Frusta subviridia crystallina aut crystalli virides, quorum superficies plerumque paulum oxydaverit et subhumida aut pulvere albido adspersa sit. Aquae *partibus quinque* sine magna turbatione fusca solvatur; haec solutio Acido sulphydrico, si omnino, leviter tantummodo fuscetur.

Praecipue ad desinficiendum neve umquam ad usum internum adhibeatur.

Ferrum pulveratum.

Pulvis gravis, griseus, nitoris paulum metallici subtilis; qui magnete attrahitur. In mixtura e *duobus voluminibus* Aquae et *uno volumine* Acidi hydrochlorici diluti composita gas emittens solvatur et si quid omnino paulum tantummodo residui nigri relinquat; Hydrogenium ita emissum scidulam chartaceam Solutione Argenti Nitratis (1 : 2) humectatam ne statim flavam fuscamve tingat, solutio effecta et Acido nitrico oxydata, deinde cum Aqua Ammoniae excedente commixta filtratum praebeat coloris expers, quod Ammonii Sulphido non turbetur.

Ferrum reductum.

Pulvis subtilissimus, griseus, nitoris expers, qui magnete attrahitur et calefactus gliscat, deinde in oxydum e nigro fuscum abeat. In mixtura e *duobus voluminibus* Aquae et *uno volumine* Acidi hydrochlorici diluti composita solvatur et gas emittat odoris prope expers, quod scidulam chartaceam Solutione Argenti Nitratis (1 : 2) humectatam non statim flavam fuscamve tingat, postremo ne plus quam vestigia residui relinquat; liquor ita effectus et Acido nitrico perfecte oxydatus, deinde cum Aqua Ammoniae excedente commixtus filtratum praebeat coloris expers, quod Ammonii Sulphido non turbetur. Cum Aqua conquassatum filtratum praebeat, quod neque Chartam exploratoriam mutet neque evaporatum quicquam residui relinquat.

Si *1 gr.* huius Ferri reducti in cucurbita parva clausa cum *20* cm^3 Aquae et *2.5 gr.* Kalii Iodidi et *2.7 gr.* Iodi per nonnullas horas saepius agitans calore modico commiscueris, deinde paulo Carbonei Sulphidi addito conquassaveris, ne color violaceus fiat, id quod minimum *60 partibus* Ferri metallici in *centum partibus* respondet.

In vasis bene clausis servetur.

Filix mas.

Aspidium Filix mas *Swartz.*

Rhizoma a radicibus et squamis paleaceis liberatum cum

foliorum basibus, quae omnes eodem vergentes circiter *unum centimetrum* crassae et ad *centimetra* circiter *quinque* longae sunt et per fracturam transversam circiter octo fasciculos vasorum circumscriptos praebent, quorum numero paulum maiore rhizoma insigne est. Sapor subdulcis et acer est.

Ne ultra unum annum servetur.

Foeniculum.

Foeniculum capillaceum *Gilib.*

Fructus oblongi, e subfusco virides, *4* ad *8 millimetra* longi, ad *3 millimetra* crassi, teretes, duobus mericarbiis saepe separatis insignes, quorum utrumque quinque costis carinatis, claris et interpositis sulcis planis, fuscis univittatis praeditum est.

Odor peculiaris et aromaticus, sapor simul subdulcis est.

Galbanum.

Ferula galbaniflua *Boiss. et Buhse* et aliae **Ferulae** species Persiae septentrionalis.

Gummi-resina constans e granis irregularibus, sive singularibus sive inter se conglutinatis, coloris subflavi vel e rutilo fusci aut massae magis minusve mollis, subvirides vel pallide fuscae, cum granis inspersis, in fractura cerae similes. Odor suaviter aromaticus, sapor simul amarus est.

Spiritu irrigatum Acido hydrochlorico addito colorem violaceum trahat.

Tempestate gelida in pulverem redigatur et a quisquiliis ope cribri liberetur.

Galla.

Excrescentiae, quas **Aphis chinensis** ictu in foliis **Rhois semialatae** *Murr.* procreat piriformis vel clavaeformes, sive simplices sive e compluribus lobis constantes, gibbosae, *1–6 cm* longae, saepe foramine terebrato praeditae, intus cavae, pulverem griseum micosum et reliquias insecti continentes. Superficies e rubro fusca tomento pallide griseo, e pilis acutis, sericeis constante obsita est.

Gentiana.

Gentiana scabra *Bunge* var. *α* **Buergeri** *Max.*

Rhizoma breve, ad *millimetra* circiter *decem* crassum, fuscum, intus pallide flavescens, multis radicibus longis, circiter *3 mm* crassis, e rutilo flavis, tenacibus praeditum. In segmento transverso rhizoma facie variegata, radix cortice satis lato et prope lignum saturatius colorato necnon cylindro, ligneo tenui insignis est.

Amylum non continet, odoris expers est, saporis peramari.

O Glycerinum.

Liquor limpidus, coloris et odoris expers, saporis dulcis, syrupi consistentia, qui quavis portione Aquae aut Spiritus, non autem Aethere aut Chloroformo aut Oleis pinguibus solvatur, Pond. spec. 1.23–1.24.

Cum *quinque partibus* Aquae solutionem praebeat neutralem, quae Ammonii Oxalate aut Baryi Nitrate aut Argenti Nitrate aut Acido sulphydrico aut Ammonii Sulphido neque turbetur neque coloretur.

Cum Liquore Kali caustici calefactum neve colorem trahat neve vapores ammoniacales exhalet. Cum Acido sulphurico diluto commixtum neve, si calefeceris, odorem spargat insuavem, rancidum neve, si in balneo aquae evaporaveris, colorem trahat nigrum. Cum Solutione Argenti Nitratis ammoniacalis commixtum ne intra quindecim minutas reductionem exhibeat.

In lamina platinea calefactum ne quid residui fixi relinquat.

Glycyrrhiza.

Glycyrrhiza glabra *Linn.* var. β **glandulifera.**

Radices longae, rugosae, cylindricae, ad *2 cm* crassae extrinsecus e rutilo fuscae, intus flavae, fracturae fibrosae saporis dulcis. In sectione transversa fasciculi lignei, radiatim dispositi disjuncti, cuneiformes apparent.

Ad pulverem parandum radix decorticata adhibeatur.

Gossypium depuratum.

℞.

Gossypium album, carminatum optimae qualitatis,

per nonnullas horas macera solutione

Natrii Carbonatis *partum quinque* .... **5.**

in

Aquae *partibus nonaginta quinque* .... **95.**

effecta; deinde Aqua, postremo Aqua destillata elue, quoad haec perfecte neutralis defluat, tum discerpe et sicca.

In Aqua statim desidat, Chartam exploratoriam humectatam nequaquam mutet; *centum partes* in cinerem redactae ne plus quam *1 partem* residui fixi relinquant.

Gossypium stypticum.

℞.

Liquoris Ferri Perchloridi *partes viginti quinque* .... **25.**

Spiritus *partes quindecim*.......................... **15.**

Misce. In hanc mixturam immerge

Gossypii depurati *partes decem* .... **10.**

Tum discerpe et loco tepido, a luce tuto sicca.

In vasis bene clausis servetur.

Granatum.

Punica granatum *Linn.*

Cortex radicis, siccus magis minusve canaliculatus, ad *2 mm* crassus, extrinsecus e subviridi flavus vel e subfusco griseus, neque lichenibus neque apotheciis nigris consitus, intus levis et e subfusco flavus. Sapor ingrate adstringens et amarusculus est.

Ubi fieri potest, radicis cortex recens adhibeatur.

Guajacum.

Guajacum officinale *Linn.*

Lignum ponderosum, durum, densum non per lineam directam findibile, duramine resinoso, e subviridi fusco, alburno leviore, subflavo, calefactum odorem gratum benzoinum spargens.

Aqua ponderosius sit, Spiritu irrigatum Ferri Perchlorido addito colorem trahat e caeruleo viridem.

Rasura venalis neve nimis cum alburno albido permixta sit neve frusta e lignis alienis orta contineat.

○ Gummi arabicum.

Acacia Verek *Guill. et Perr.*

Frusta globosa aut angulosa, coloris expertia vel subflavescentia, rimosa, per fracturam clara et ad vitri

instar nitentia, odoris fere expertia, saporis insipidi, mucilaginei, pulverem plane album praebentia.

Duabus partibus Aquae lente solvatur ita, ut mucilaginem pellucidam reactionis vix acidae praebeat, quae vel Spiritu vel Liquore Plumbi Subacetatis addito praecipitatum valde floccosum, solutione Plumbi Acetatis addita nullum efficiat. In cinerem redactum ne plus quam *tres partes* residui fixi pro *centum partibus* relinquat.

Guttapercha.

Dichopsis Gutta *Hooker.*

Massa grisea vel e flavo subfusca, saepe venis e rubro fuscis insignis, cornea, satis flexibilis, sed vix elastica, quae calore circiter 70° mollis et plastica, in Aqua ebulliente mollissima fiat. Aqua aut Spiritu non solubilis. Chloroformo aut Olei Terebinthinae aut Carbonei Sulphido aut Benzolo solubilis sit. Pond. spec. 0.96–0.99.

○ Hirudo.

Hirudo medicinalis *Linn.* var. **japonica.**

Hirudines parvae, quarum ventres ad olivarum instar virides, terga fusca et quinque taeniis longitudinalibus, flavis insignia sint, quae limbis nigris marginatae et per pares distantias regulariter sive coartatae sive interruptae sint.

Ne ad sugendum antea sint adhibitae.

Hordeum.

Hordeum vulgare *Linn.*

Fructiculi a paleis et fere plane a pericarpis liberati, elliptici, utrimque in extremis partibus rotundati, albi, in altero latere sulcis longitudinalibus, subfuscis insignes.

○ Hydrargyri Chloridum.

Calomel.

Pulvis sublimando paratus, e subflavo albus gravis, in aëre persistens, odoris expers, calore non liquescens, sed perfecte avolans. Aqua aut Spiritu aut Aethere non solvitur. Acido nitrico in calore facile et perfecte solvatur, vapores rubros exhalans. Haec solutio ope Aquae diluta Argenti Nitrate addito praecipitatum praebeat album. Cum Liquore Natri caustici calefactum colorem nigrum trahat neve vapores ammoniacales emittat. Cum *decemplici copia* Aquae aut Spiritus conquassatum filtratum praebeat, quod neque Acido sulphydrico neque Argenti Nitrate turbetur.

Caute, a luce tutum servetur.

Hydrargyri Iodidum.

R.

Hydrargyri *partes octo* .... **8.**

Iodi *partes quinque* .... **5.**

Iodum paulatim paulum Spiritus inspergens et calorem fortem vitans cum Hydrargyro contere, quoad jam nulli Hydrargyri globuli cognoscantur et pulvis colorem exhibeat aequabiliter e subviridi flavum. Tum Spiritu elue, quoad filtratum Acido sulphydrico jam non mutetur, et praeparatum luce exclusa sicca.

Sit pulvis e subviridi flavus, amorphus, gravissimus, Spiritu non solubilis, Aqua vix solubilis, calore perfecte avolans. Cum Spiritus *partibus viginti* conquassatum filtratum praebeat, quod Acido sulphydrico, si omnino, leviter tantummodo mutetur.

Caute, a luce tutum servetur.

Hydrargyri Oxydum flavum.

R.

Hydrargyri Perchloridi *partes duas* .... **2.**

Solve Aqua calida, destillata, deinde solutionem agitans lente infunde in mixturam constantem e

Liquoris Natri caustici *partibus sex*.............. **6.**

Aquae *partibus decem*................................ **10.**

Praecipitatum collige et Aqua calida, destillata perfecte elue, quoad filtratum Argenti Nitrate jam non mutetur, deinde calore 40° non superante sicca.

Sit pulvis amorphus, flavus, gravis, odoris expers, Aqua aut Spiritu non solubilis, Acido hydrochlorico diluto facile solubilis, in calore colorem nigrum trahens, postremo

perfecte avolans.

Cum Solutione Acidi oxalici concentrata, aquosa conquassatum Hydrargyri Oxalatem album efficiat. Cum Aqua conquassatum filtratum praebeat, quod Acido sulphydrico non mutetur. Solutio Acido nitrico effecta, diluta Argenti Nitrate, si omnino, leviter tantummodo opalescens turbetur.

Cautissime, a luce tutum servetur.

○ Hydrargyri Oxydum rubrum.

Pulvis crystallinus, coloris aurantiaci, in aëre persistens, odoris expers, qui subtilissime contritus magis flavescat. Calefactum colorem nigrum trahat, postremo perfecte avolet neve vapores exhalet sive Chartam exploratoriam caeruleam humectatam rubefacientes sive colore rutilo insignes. Acido hydrochlorico diluto facile, Aqua non solvitur.

Cum Solutione Acidi oxalici concentrata, aquosa conquassatum ne colorem trahat album.

Cautissime, a luce tutum servetur.

○ Hydrargyri Perchloridum.

Mercurius sublimatus corrosivus.

Frusta alba, diaphana, gravia, radiate crystallina aut pulvis albus, crystallinus aut crystalli aciculares, qui

calefacti liquescant et perfecte avolent, Aquae frigidae *partibus 16* ebullientis *partibus tribus*, Spiritus *partibus tribus*, Aetheris *partibus quattuor* solubiles.

Solutio aquosa reactionem exhibet acidam, Natrii autem Chlorido addito neutralis fit; Liquore Calcis addito praecipitatum rutilum, Argenti Nitrate addito album praebet. Si solutionem aquosam calefaciens Acido sulphydrico saturaveris et refrigeratam cum Aqua Ammoniae excedente conquassaveris, filtratum Acido hydrochlorico diluto acidulatum ne excreta flava praebeat.

Cautissime servetur.

Hydrargyri Perchloridum ammoniatum.

Mercurius praecipitatus albus.

R.

Hydrargyri Perchloridi *partes decem* .... **10.**

Solve

Aquae calide destillatae *partibus ducentis*... **200.**

In solutionem refrigeratam et filtratam agitans paulatim infunde

Aquae Ammoniae *partes quindecim* .... **15.**

vel tantum, ut paulo praevaleat. Praecipitatum ita effectum et in filtro collectum, cum liquor quantum fieri potest, destillaverit,

Aquae destillatae *partibus nonaginta* .... **90.**

elue, deinde charta bibula inclusum calore modico et loco

obscuro sicca.

Sit album, in aëre persistens, odoris expers, Aqua aut Spiritu haudquaquam aut vix solubile, Acido nitrico aut hydrochlorico diluto facile et sine effervescentia solubile, item Solutione Natrii Thiosulphatis frigida solubile. Solutio Acido acetico effecta Acido sulphurico diluto ne turbetur.

Cum Liquore Natri caustici calefactum Ammoniam emittit et Hydrargyri Oxydum flavum excernit. In tubulo probatorio calefactum ne liquescat, sed destruatur, et perfecte avolet.

Cautissime, a luce tutum servetur.

Hydrargyri Periodidum.

R.

Hydrargyri Perchloridi *partes novem* .... 9.

Solve

Aquae calidae, destillatae *partibus centum quinquaginta* .... 150.

Solutionem refrigeratam agitans commisce cum solutione

Kalii Iodidi *partium undecim*..................... 11.

Aquae destillatae *partibus triginta*............. 30.

parata. Praecipitatum ita effectum et in filtro collectum Aqua destillata perfecte elue, quoad Aqua adhibita Argenti Nitrate non plus quam opalescens turbetur. Tum calore modico sicca.

Sit pulvis coloris coccinei, odoris expers, qui calefactus colorem flavum trahat, postremo perfecte avolet; cum Spiritus frigidi *partibus 130* aut ebullientis *partibus 20*, item cum Solutione Kalii Iodidi solutiones efficiat coloris expertes.

Cum Aqua conquassatum filtratum praebeat, quod Acido sulphydrico aut Argenti Nitrate, si omnino, leviter tantummodo turbetur.

Cautissime, a luce tutum servetur.

Hydrargyri Sulphidum rubrum.

Cinnabar.

Pulvis subtilis, coloris intense coccinei, gravis in aëre persistens, odoris expers, calefactus colorem magis saturatum trahens, postremo perfecte avolans. Aqua, Spiritu, Acido hydrochlorico aut nitrico, Liquoribus alkalinis causticis dilutis non solvitur, calefactum autem Aqua regia solvitur.

Cum Liquore Kali caustici leniter calefactum et conquassatum filtratum praebeat coloris expers, quod neque paulo Plumbi Acetatis addito neque Acido hydrochlorico diluto supersaturatum turbationem praebeat colore insignem. Cum Acido nitrico diluto per nonnullas minutas digestum ne colorem mutet et filtratum praebeat coloris expers, quod Aqua valde dilutum et Acido sulphydrico saturatum neque coloretur neque praecipitatum colore insigne praebeat.

Hydrargyrum.

Metallum nitoris argenti, liquidum, calore magno necnon, quamquam lente, calore ordinario perfecte avolans. Pond. spec. 13.57.

Sit perfecte siccum neve, si in lagoena conquassaveris, vitro adhaerescat, sed nitorem pure argenteum retineat.

Hyoscyamus.

Hyoscyamus niger *Linn.*

Folia oblonge ovata, acuta, sinuato-dentata ad *centimetra* circiter *25* longa, *centimetra 10* lata, e griseo viridia, glandulose pilosa, utrimque tribus vel sex dentibus magnis praedita, saporis nauseosi et narcotici.

De planta florescente colligantur et cito siccentur.

Caute, ne ultra unum annum servetur.

Jaborandi.

Pilocarpus pennatifolius *Lemaire.*

Folia impari-pinnata, ad *triginta centimetra* longa, quae constant e duobus vel quattuor foliolis pinnatis, aut breviter petiolatis aut sessilibus, et uno foliolo terminali, quod petiolo satis longo insigne est. Foliola *7* ad *10 centimetra* longa, *4* ad *7 centimetra* lata, oblonga aut ovate lanceolata, integra, paulum praeobtusa vel emarginata sunt et, si contra

lucem apprehenderis, puncta diaphana, irregulariter disposita exhibent.

Odor leniter aromaticus est, inter conterendum fortior, sapor amariusculus et subacer.

Caute servetur.

Jalapa.

Ipomoea purga *Hayne.*

Tubera vel globosa vel piriformia vel oblonga, ponderosa, magnitudine nucis avellanae vel pugni; maiora eorum saepe incisa sunt. Superficies fusca, rugosa verrucis suberosis, clare griseis praedita est, sed neque foliorum cicatrices neque radices, secundarias praebet. Fractura est cornea, non fibrosa. In tuberis transverse secti tela densa, cuius color albidus vel e griseo subfuscus est, dignoscuntur multae cellulae resiniferae, pullae, per zonas concentricas dispositae. Odor lenis et peculiaris est, saepe fumo similis, sapor insipidus, deinde acer.

Decem grammata Jalapae pulveratae ope Spiritus perfecte exhausta filtratum praebeant, quod Spiritu in balneo aquae evaporato residuum relinquat, quod paulo Aquae calidae, quoad haec jam non coloretur, elutum, deinde siccatum minimum *unum gramma* valeat et eas praebeat qualitates, quae in Resina Jalapae descriptae sunt.

Caute servetur.

Ichthyocolla.

Acipenser Huso *Linn.* et aliae species **Acipenseris.**

Membranae albidae, fere corneae, tenaces, semidiaphanae, iridescentes, secundum fibras friabiles, quae aut in lamellis aut in frustis oblongis aut subtiliter concisae veneunt. Odoris et saporis expertes sunt, in Aqua frigida intumescunt, Aqua ebulliente aut Spiritu *pari volumine* Aquae diluto fere perfecte solvuntur. Solutio *30 partibus* Aquae effecta, deinde refrigeratam gelatinam praebeat fere limpidam, coloris expertem.

Infusum Rhei.

R.

Rhei concisi *partes decem* .... 10.

Natrii Carbonatis *partes tres* .... 3.

Superfunde

Aquae ebullientis *partes nonaginta* .... 90.

Per quindecim minutas sepone, tum admisce

Spiritus *partes decem* .... 10.

et iterum per unam horam sepone. Tum leniter exprimens cola et colaturae adde

Aquae Cinnamomi *partes quindecim*............ 15.

Sit limpidum, coloris e rubro fusci, reactionis fortiter alkalinae, odoris rheo similis.

In lagoenis parvis iisque perfecte repletis non nimis diu servetur.

Infusum Sennae compositum.

R.

Sennae concisae *partes sex* .... 6.

superfusas

Aquae ebullientis *partibus quadraginta* .... 40.

Per quinque minutas in balneo aquae sepone. In liquore refrigerato et colato solve

Kalii et Natrii Tartratis *partes quinque* .... 5.

Mannae *partes decem* .... 10.

Liquor ita paratus et postquam subsedit, filtratus valeat *partes quinquaginta* .... 50.

○ Iodoformum.

Lamellae parvae, nitidae, tactu pingues coloris citrini, odoris penetrantis paulum crocei. Calore circiter 115° liquescat, calore aucto avolet, vapores violaceos exhalans neque cinerem relinquens. Aqua fere non solubile sit, solubile circiter *80 partibus* Spiritus frigidi aut *10 partibus* ebullientis aut circiter *6 partibus* Aetheris, nec non Chloroformo, Carbonei Sulphido, Benzolo, Oleis pinguibus aut Aethereis.

Cum Aqua conquassatum (1 : 20) filtratum praebeat coloris expers, reactionis neutrius, quod neque Argenti Nitrate plus quam opalescens turbetur neque Baryi Nitrate mutetur.

Caute servetur.

Iodum.

Lamellae rhombicae graves, e nigro griseae, nitoris metallici, siccae, friabiles, odoris peculiaris, calefactae vapores violaceos praebentes et perfecte avolantes; calore 114° liquescunt. Aqua paulummodo solvitur, *decem partibus* Spiritus aut Aethere aut Solutione Kalii Iodidi colorem fuscum trahens, Chloroformo aut Benzolo aut Carbonei Sulphido colorem violaceum trahens large et limpide solvitur.

0.5 gr. Iodi cum *20 cm³* Aquae conquassata liquorem praebeant, coloris leviter tantummodo subfusci. Hic liquor decanthatus et, quoad color evanescat, cum Solutione Natrii Sulphite deinde cum paulo Solutionis Ferri Sulphatis et Liquoris Natri coustici commixtus et leniter calefactus, postremo refrigeratus et Acido hydrochlorico diluto leviter supersaturatus etiamsi per complures horas seposueris, neve colorem neve praecipitatum caeruleum praebeat; idem liquor decoloratus cum Aqua Ammoniae excedente commixtus et Argenti Nitrate praecipitatus filtratum praebeat, quod Acido nitrico supersaturatum turbetur tantummodo, non praecipitetur.

0.2 gr. Iodi et *0.5 gr.* Kalii Iodidi *50 cm³* Aquae soluta requirant *15.5–15.7 cm³* Liquoris decinormalis Natrii Thiosulphatis ad colorem delendum.

Caute in vasis, quae epistomiis vitreis claudantur, servetur.

○ Ipecacuanha.

Cephaëlis Ipecacuanha *A. Rich.*

Radicis rami saepe ad vermium instar curvati plerumque non ramosi, ad *15 centimetra* longi, densi, torose annulati, *2* ad *5 mm* crassi, in extremis partibus paulo tenuiores. Cortex, qui a cylindro ligneo interiore, clare flavo, tenui, facile separatur, extrinsecus griseus vel e subfusco griseus est, fractura granulosa. In cylindro ligneo transverse secto neve radii perspiciantur neve porae vasorum aëriferorum. Odor lenis et peculiaris est, sapor ingratus et amarus.

Decoctum aquosum addita Solutione Iodi colorem saturate caeruleum trahat.

In pulverando cylindrus ligneus, cuius pondus circiter *quartam partem* radicis valet, ope cribri removeatur.

Caute servetur.

Juniperus.

Juniperus communis *Linn.*

Fructus globosus diametro *novem millimetra* non superans, e fusco niger nitidus, glauce pruinosus, baccae similis, cuius apex sulco trifariam radiato instructus est. Sarcocarpium e subfusco viride continet tria semina ovata, fere triangularia, dura, quorum superficies glandulis magnis oleiferis instructae sunt. Sapor subdulcis, aromaticus, amariusculus est, odor aromaticus.

Kali causticum.

Frusta aut bacilli sicci, albi, fortiter caustici per fracturam crystallini, in aëre diffluentes, Aqua facile solubiles. Solutio aquosa coloris expers sit et Acido tartarico excedente addito praecipitatum praebeat album, crystallinum.

Si *1 gr.* in *2 gr.* Aquae solutum cum *4 partibus* Spiritus commiscueris, mixtura levissime tantummodo turbetur neve stratum syrupo simile separet.

Acido nitrico diluto excedenti illatum initio paulummodo gasis emittat; haec solutio Baryi aut Argenti Nitrate, si omnino, leviter tantummodo turbetur.

Si solutioni Acido sulphurico diluto acidulatae et cum *dimidia parte* Acidi sulphurici commixtae, deinde refrigeratae Solutionem Ferri Sulphatis saturatam superstraveris, in ea zona, qua liquores separantur, ne color fuscus appareat.

Caute in vasis bene clausis servetur.

○ Kalii Acetas.

Pulvis crystallinus, in aëre humido cito diffluens, albus, reactionis leviter alkalinae, aut sal e massis crystallinis, lamellosofibrosis, paulum nitidis constans, *dimidia parte* Aquae aut *2.5 partibus* Spiritus solubilis, qui Acido sulphurico superfusus Acidum aceticum exhalet neque colorem trahat et Aqua solutus cum Acido tartarico praecipitatum crystallinum praebeat.

Solutio aquosa (1 : 20) paulo Acidi acetici acidulata neve Acido sulphydrico mutetur neve Baryi Nitrate aut Ammonii Oxalate aut Argenti Nitrate plusquam opalescens turbetur. Solutio aquosa neve Ammonii Sulphido neve Natrii Phosphate turbetur. *Pari parte* Aquae solutus acidis additis ne effervescat.

In vasis bene clausis servetur.

Kalii Bicarbonas.

Crystalli diaphani, coloris expertes, sicci, *4 partibus* Aquae lente solubiles, Spiritu non solubiles.

Solutio aquosa reactionem leviter modo alkalinam praebeat, Acido tartarico excedente addito effervescat et praecipitatum album, crystallinum praebeat. Solutio aquosa, etiamsi Acido acetico supersaturaveris Acido sulphydrico addito ne mutetur.

Solutio aquosa (1 : 20) Acido nitrico supersaturata Baryi Nitrate nequaquam, Argenti Nitrate, si omnino, opalescens tantummodo turbetur.

Si *5 gr.* huius salis *5 cm^3* Aquae frigidae superfusa per decem minutas seposueris, liquor decanthatus et *decuplici volumine* Aquae dilutus *2 guttis* Solutionis Hydrargyri Perchloridi additis ne praecipitatum e rubro fuscum praebeat.

2 gr. huius salis requirant *20 cm^3* Liquoris alkalimetrici normalis ut saturentur.

Kalii Bitartras.

Cremor Tartari.

Crystalli albi, duri, in aëre persistentes, odoris expertes aut pulvis albus, crystallinus, reactionis acidae, Aqua frigida difficulter, fervida facilius, Spiritu non solubilis.

Calefactus carbonescit, odorem exhalat sacchari urentis, postremo residuum relinquit album, reactionis fortiter alkalinae. Liquore Natri caustici solutus, deinde calefactus ne vapores ammoniacales exhalet.

Si *1 gr.* cum *5 cm³* liquoris limpidi e Kalii et Natrii Tartratis et Aquae Ammoniae *partibus aequalibus* constantis calefeceris, solutio per 24 horas seposita neve praecipitatum crystallinum exhibeat, neve Ammonii Sulphido mutetur.

Si salem pulveratum cum *20 partibus* Aquae aliquamdiu conquassaveris, liquor filtratus et cum paulo Acidi nitrici diluti commixtus Baryi Nitrate nequaquam, Argenti Nitrate, si omnino opalescens tantummodo turbetur.

5.3 gr. salis ardore levi perfecte in carbonem redacta residuum relinquant, quod Aqua coctum requirat *28 cm³* Liquoris alkalimetrici normalis, ut saturetur.

○ Kalii Bromidum.

Crystalli cubici, albi, nitidi, in aëre persistentes, odoris expertes, *2 partibus* Aquae aut *200 partibus* Spiritus solubiles. Solutio aquosa Liquore Chlori addito fusca

tingatur, Acido tartarico excedente addito praecipitatum crystallinum, album praebeat.

Solutio aquosa (1:5) neve Chartam exploratoriam rubram statim caeruleam tingat neve Baryi Nitrate turbetur neve cum paulo Chloroformi conquassata *una gutta* Acidi sulphurici diluti aut *nonnullis guttis* Solutionis Ferri Perchloridi coloretur.

0.5 grammata salis bene siccati *25 cm^3* Aquae soluta et cum *5-10 guttis* Solutionis Kalii Chromatis commixta ne plus quam *42* ad *43 cm^3* Liquoris decinormalis Argenti Nitratis requirant, ut colorem rubrum permanentem trahant.

Kalii Carbonas.

Pulvis albissimus, hygroscopicus, reactionis fortiter alkalinae, granulose crystallinus, qui ardori modico expositus pro *centum partibus 15-19 partes* Aquae amittat. *Pari pondere* Aquae frigidae limpide solvatur; solutione Acidi tartarici excedente addita effervescat et praecipitatum album, crystallinum praebeat.

In auricula fili platinei in flammam coloris expertem inductus colorem violaceum, non permanenter flavum efficiat.

Solutio aquosa calefacta et Acido sulphurico diluto supersaturata Solutionem Kalii Permanganatis ne decoloret. Solutio aquosa, Acido acetico supersaturata Acido sulphydrico ne mutetur.

Solutio aquosa (1:20) neve Ammonii Sulphido addito neve cum Ammonii Chlorido excedente calefacta mutetur; cum paulo Solutionis Ferri Sulphatis conquassata et leniter calefacta, deinde refrigerata et Acido hydrochlorico diluto leviter acidulata ne longiore quidem tempore interposito colorem aut praecipitatum caeruleum praebeat; Acidi nitrico diluto supersaturata Argenti aut Baryi Nitrate addito, si omnino, leviter tantummodo turbetur.

Si solutioni Acido sulphurico diluto effectae, acidae, cum *dimidia parte* Acidi sulphurici commixtae, deinde refrigeratae Solutionem Ferri Sulphatis saturatam superstraveris, in ea zona, qua liquores separantur, ne color fuscus appareat.

2 gr. huius salis igniti requirant minimum *27.5 cm³* Liquoris alkalimetrici normalis ut saturentur.

In vasis bene clausis servetur.

Kalii Carbonas crudus.

Pulvis albus, siccus, granulosus, *pari pondere* Aquae tantum non perfecte solubilis reactionis fortiter alkalinae. Solutio aquosa Acido tartarico excedente addito Acidum carbonicum emittat et praecipitatum album, crystallinum praebeat. Ardori rubro expositus pro *centum partibus* ne plus quam *20 partes* ponderis amittat.

2 gr. salis igniti requirant *23-23.5 cm³* Liquoris alkalimetrici normalis, ut saturentur.

In vasis bene clausis servetur.

○ Kalii Chloras.

Crystalli lamellares aut tabulaeformes, coloris expertes, nitidi, in aëre persistentes, Aquae frigidae *partibus 17*, ebullientis *partibus 3* solubiles, Spiritu paulum solubiles. Solutio aquosa neutram praebet reactionem; Acido hydrochlorico calefacta colorem trahit e subviridi flavum et gas Chlori exhalet, cum Acido tartarico excedente praecipitatum praebet album crystallinum.

Solutio aquosa (1:30) neve Acido sulphydrico neve Ammonii Sulphido neve Ammonii Oxalate neve Baryi Nitrate mutetur; Argenti Nitrate, si omnino, opalescens tantummodo turbetur.

In tubulo probatorio ignitus liquescat et magnam copiam Oxygenii exhalet et residuum relinquat Aqua solubile, reactionis sive neutrius, sive levissime alkalinae.

Kalii et Natrii Tartras.

Sal Seignetti.

Crystalli prismatici, coloris et odoris expertes pellucidi aut pulvis albus, saporis leniter salsi et subamari, reactionis neutrius, Spiritu vix, *2 partibus* Aquae frigidae in liquorem limpidum solubilis, qui Acido acetico addito praecipitatum praebeat album, crystallinum.

In aëre ignitus liquescit et carbonescit, odorem spargens sacchari incensi et residuum relinquit cuius extractum aquosum flammam coloris expertem flavam tingat.

Solutio aquosa (1:10) neve Acido sulphydrico neve Ammonii Oxalate aut Sulphido mutetur. Solutio aquosa (1:10), limpida, cum paulo Acidi nitrici commixta Baryi Nitrate nequaquam, Argenti Nitrate, si omnino, opalescens tantummodo turbetur. Cum Liquore Natri caustici calefactus ne vapores ammoniacales exhalet.

Si *5 grammata* huius salis calefeceris, quoad jam nullos vaporis emittant residuum in carbonem redactum et cum Aqua coctum requirat prope *35.5 cm³* Liquoris alkalimetrici normalis, ut saturetur.

In vasis bene clausis servetur.

○ Kalii Iodidum.

Crystalli albi, cubici, sicci, saporis vehementer salsi, subamari, Aquae *partibus 0.8* aut Spiritus *partibus 18* solubiles.

In auricula fili platinei flamma coloris experti calefactum statim colorem proferat violaceum, non flavum. Solutio aquosa cum Aqua Chlori commixta Iodum excernit.

Solutio aquosa (1:10) neve Chartam exploratoriam statim caeruleam tingat neve Aqua hydrosulphurata addita mutetur. Solutio aquosa (1:30) Solutione Baryi Nitratis addita, si omnino, aliquanto tantummodo temporis interjecto opalescens turbetur; cum Solutione Amyli commixta *nonnullis guttis* Acidi sulphurici diluti additis ne statim colorem efficiat caeruleum.

1 gr. huius salis bene siccati *duobus* cm^3 Aquae solutum requirat minimum *14.5* ad *15* cm^3 Liquoris volumetrici Hydrargyri Perchloridi, ut colore rutilo constanti turbetur, id quod minimum *97 partibus* Kalii Iodidi puri in *centum partibus* respondet.

Caute in vasis bene clausis servetur.

○ Kalii Nitras.

Crystalli prismatici, pellucidi, coloris et odoris expertes aut pulvis crystallinus siccus, Aquae frigidae *partibus 4*, ebullientis *partibus 0.4* solubiles, Spiritu vix solubiles.

Solutio aquosa neutram praebeat reactionem; cum Solutione Acidi tartarici excedente praecipitatum praebeat album, crystallinum; cum Solutione Ferri Sulphatis commixta ne priusquam Acidum sulphuricum addideris, colorem trahat e fusco nigrum.

Solutio aquosa (1:20) neve Acido sulphydrico neve Ammonii Sulphido neve Natrii Carbonate neve Baryi Nitrate mutetur; Argenti Nitrate, si omnino, leviter tantummodo opalescens turbetur.

Kalii Permanganas.

Prismata coloris intense e purpureo violacei, prope nigri, nitoris metallici, in aëre persistentia, odoris expertia, Aquae frigidae *partibus 20*, ebullientis *partibus 3* solubilia.

Solutio aquosa diluta (1:1000) Chartam exploratoriam ne afficiat; Acido sulphuroso aliisve corporibus reducentibus decoloretur sive limpida remanens sive praecipitatum exhibens fuscum.

0.5 gr. huius salis cum *2 gr.* Spiritus et *25 cm³* Aquae fervefacta filtratum praebeant coloris expers, quod neque Baryi neque Argenti Nitrate plus quam opalescens turbetur neque Acido sulphurico diluto et Zinco puro additis Liquore Zinci Iodidi et Amyli caerulea tingatur.

In lagoenis, quae epistomiis vitreis claudantur, servetur.

Kalii Sulphas.

Crystalli albi, duri, coloris expertes aut frusta crystallina, Aquae frigidae *partibus 10*, ebullientis *partibus 4* solubilia, Spiritu non solubilia. In auricula fili platinei flamma coloris experti calefactus colorem proferat violaceum, non constanter flavum.

Solutio aquosa (1:20) neutralis sit et Baryi Nitrate addito praecipitatum praebeat album, Acido nitrico non solubile; neve Acido sulphydrico aut Ammonii Sulphido aut Natrii Carbonate aut Ammonii Oxalate aut Argenti Nitrate mutetur neve cum *pari volumine* Acidi sulphurici commixta, deinde refrigerata, si Solutionem Ferri Sulphatis saturatam superstraveris, in zona, qua liquores separantur, colorem fuscum praebeat.

Kalii Sulphidum.

R.

Sulphuris sublimati *partem unam* .... 1.

Kalii Carbonatis crudi *partes duas* .... 2.

Exacte mixtas in patina ampla interdum agitans calefac, quoad massa desinat effervescere et quoad parva pars exempta Aqua solubilis appareat; tum massam liquefactam in laminam effunde et refrigeratam contunde.

Sint frusta coloris hepatici, sensim colorem e viridi aut e subfusco flavum trahentia, leviter Acidum sulphydricum redolentia, in aëre humido diffluentia, Aquae *partibus* circiter *2* prope limpide in liquorem reactionis alkalinae et coloris e flavo viridis solubilia.

Solutio aquosa (1:20) Acido acetico supersaturata et calefacta Sulphur excernat et magnam copiam Acidi sulphydrici emittat, et filtratum praebeat, quod Acido tartarico addito praecipitatum praebeat album, crystallinum.

In vasis bene clausis servetur.

Kalii Tartras.

Crystalli coloris et odoris expertes, diaphani, in aëre persistentes, aut pulvis crystallinus Aquae frigidae *partibus 1.5*, ebullientis *dimidio pondere* solubiles, Spiritu paulummodo solubiles. In aëre ignitus vapores exhalet saccharum incensum redolentes, postremo residuum relinquat reactionis

alkalinae, quod flammam coloris expertem violaceam tingat. Solutio aquosa neutralis sit et cum Acido acetico praecipitatum praebeat album, crystallinum.

Solutio aquosa (1:20) neve Ammonii Sulphido aut Oxalate neve cum Acido hydrochlorico commixta Acido sulphydrico mutetur. Solutio aquosa limpida cum Acido nitrico commixta Baryi Nitrate nequaquam Argenti Nitrate si omnino opalescens tantummodo turbetur. Cum Liquore Natri caustici calefactus vapores ammoniacales ne exhalet.

2.35 gr. huius salis ardori leni, quoad jam nullos vapores emittant, exposita residuum relinquant, quod cum Aqua coctum *20* cm^3 Liquoris alkalimetrici normalis requirat, ut saturetur.

In vasis bene clausis servetur.

Kamala.

Mallotus phillipinensis *Mueller.*

Pulvis solutus, odoris et saporis expers, maximam partem constans e glandulis compresso subglobosis, coloris latericii, quae magnum numerum cellularum clavaeformium, resina repletarum continent. Immixti sunt pilifasciculati, parvi, leviores, coloris expertes.

Solutiones alkalinae, sicut Aether et Chloroformum cum Kamala conquassatae colorem rubrum trahunt. *Centum*

partes in cinerem redactae ne plus quam *12 partes* residui fixi relinquant.

Kino.

Pterocarpus Marsupium *Roxb.*

Sucus exsiccatus, constans e frustis irregularibus, saturate e rubro fuscis, sed in strato tenui nitorem rubineum praebentibus. Odoris expers est, facile friabilis, saporis fortiter adstringentis. Spiritu perfecte, Aqua frigida paulum, fervida in liquorem turbidum, sanguineum, Aethere non solvitur. Solutio aquosa Ferri Perchlorido addito colorem saturate viridem trahit.

Kousso.

Hagenia abyssinica *Wildenow.*

Paniculae multiflorae, femineae, plerumque dispositae in fasciculos *3* ad *5 decimetra* longos, *6* ad *8 centimetra* crassos, cyperacea in spiram circumvolutos. Flores breviter pediollati et duabus bracteis magnis instructi sunt; arcte adhaerent pedunculis infractis, plerumque valde pilosis circiter *1 mm* crassis. Foliola calycis exterioris, quattuor ad quinque numero, e rubro fusca sunt, circiter *unum centimetrum* longa, reticuloso venosa, in basi setosa; includunt parem numerum sepatorum minorum calycis

interioris, totidem petala etiamsi minora mutta stamina, stilos duos. Sapor mucilagineus, deinde acer, amarus, adstringens est.

Ante dispensandum paniculae rami crassiores removeantur.

Kreosotum.

Liquor limpidus sive coloris expers sive leviter subflavus vel rutilus, lucem fortiter refrangens, oleosus, odoris penetrantis eiusque fumo similis, pond. spec. 1.03 ad 1.08, calore 205° ad 220° magnam partem destillans, calore −20° nondum concrescens. Evaporatum ne residuum fixum relinquat. Aquae ebullientis *partibus* circiter *20* solvitur; haec solutio refrigerando turbetur et cum quavis proportione Spiritus absoluti, Aetheris, Chloroformi, Acidi acetici glacialis, Carbonei Sulphidi possit misceri. Neve cum *pari volumine* Glycerini neve cum *decemplici volumine* Aquae Ammoniae limpide possit misceri; cum *pari volumine* Collodii liquorem efficiat limpidum et subcrassum, non coagulum.

Solutio aquosa saturata Aqua Bromi addita praecipitatum praebeat resinaceum, minima copia Ferri Perchloridi addita turbetur et colorem trahat sive e griseo viridem sive ad tempus tantummodo caeruleum.

Cum *pari parte* Liquoris Natri caustici mixturam efficiat limpidam, quae neque colorem saturatum trahat neque ope

Aquae valde diluta picem male olentem excernat.

Caute in vasis bene clausis servetur.

Lactucarium.

Lactuca virosa *Linn.*

Sucus lacteus, siccatus, constans e frustis siccis, pallide flavis vel e rubro fuscis, fractura cerea, odoris peculiaris et narcotici, saporis amari.

Cum Aqua coctum mollescat et filtratum praebeat, quod refrigerando turbetur, sed Spiritu aut Aqua Ammoniae addita denuo limpidum fiat. Hic liquor Solutione Calcii Sulphatis addita praecipitatum copiosum, album exhibeat; solutio Spiritu limpidata Ferri Perchlorido ne mutetur. *Centum partes* in cinerem redactae ne plus quam *decem partes* residui fixi relinquant.

Caute servetur.

Lini Farina.

Linum usitatissimum *Linn.*

Placenta oleo lini e seminibus expresso remanens, in pulverem redacta.

Sit pulvis ab oleo pingui, quantum fieri potest, liberatus, satis subtilis, non rancidus.

Lini Semen.

Linum usitatissimum *Linn.*

Semina ovata, plana, circiter *4* ad *5 mm* longa, odoris expertia, duobus lateribus leniter convexis, glabris, valde nitidis, fuscis insignia. Sapor mucosus et oleaceus est, non rancidus.

Cum Aquae *partibus 25* cocta mucilaginem praebeant limpidam, frigore crassiorem, quae Solutione Iodi addita colorem caeruleum non trahat.

Linimentum Ammoniae.

R.

Aquae Ammoniae *partem unam* .... 1.

Olei Sesami *partes quattuor* .... 4.

Conquassando misce, quoad massa alba, aequabilis effecta sit.

Linimentum Belladonnae.

R.

Extracti Belladonnae *partes quattuor* .... 4.

Spiritus diluti *partes quindecim*.................. 15.

Camphorae *partem unam* .... 1.

Camphoram parte Spiritus solve, Extractum Belladonnae cum altera parte contere, deinde liquores misce et filtra.

Caute in vasis bene clausis servetur.

Linimentum Calcis.

℞.

Liquoris Calcis

et

Olei Olivae *partes aequales.*

Conquassando misce, quoad massa alba aequabilis effecta sit.

Linimentum Saponis liquidum.

Opodeldoc.

℞.

Saponis medicati *partes decem* .... 10.

Aquae *partes quindecim* .... 15.

Spiritus *partes septuaginta* .... 70.

Camphorae *partes quinque*............................ 5.

Olei Rosmarini *partem unam* .... 1.

Aquae Ammoniae *partes duas*...................... 2.

Saponem Aqua solve et Aqua Ammoniae addita Spiritum, in quo Camphoram et Oleum aethereum solveris, admisce, deinde filtra.

Sit liquor limpidus, subflavus.

In vasis bene clausis servetur.

○ Liquor Ammonii Acetatis.

Spiritus Mindereri.

R.

Aquae Ammoniae *partem unam* .... 1.

Acidi acetici *partem unam* .... 1.

Misce et in patella porcellanea per nonnullas minutas coque; liquorem perfecte refrigeratum et Aqua Ammoniae neutralisatum cum Aqua destillata miscens ad *pondus trium partium* auge et filtra.

Sit liquor limpidus, perfecte volatilis, coloris expers, reactionis sive neutrius sive vix acidae, odoris non empyreumatici. Pond. spec. prope 1.033.

Neve Acido sulphydrico aut Baryi Nitrate, aut Ammonii Oxalate mutetur, neve Acido nitrico acidulatus Argenti Nitrate plus quam opalescens turbetur.

10 cm^3 cum *5* cm^3 Acidi sulphurici diluti commixta, ne *1* cm^3 Solutionis Kalii Permanganatis intra 5 minutas decolorent.

Si *5* cm^3 cum *duplici volumine* Acidi hydrochlorici in balneo aquae ad perfectam siccitatem evaporaveris et residuum album Aqua ad *100* cm^3 solveris, liquor fiat reactionis neutrius, cuius *25* cm^3 cum *5–10 guttis* Solutionis Kalii Chromatis commixta *24–25* cm^3 Liquoris decinormalis Argenti Nitratis requirant ut colore rutilo constanti praecipitentur, id quod prope *15 partibus* Ammonii Acetatis *in centum partibus* respondet.

Liquor Arseni et Hydrargyri Iodidi.

Liquor Donovani.

R.

Arseni Iodidi *partem unam*........................ **1.**

Hydrargyri Periodidi *partem unam* .... **1.**

Iodida cum

Aquae destillatae *partibus quindecim*........... **15.**

contere, quoad solvantur. Filtra et Aqua destillata elue, quoad filtratum valeat *partes centum*..................... **100.**

Sit liquor limpidus, coloris expers vel leviter flavescens.

Cautissime servetur.

Liquor Calcis.

Aqua Calcis.

R.

Calcis *partem unam*....................................... **1.**

et

Aquae *partibus quattuor*................................ **4.**

extinctam agitans cum

Aquae *partibus quinquaginta*......................... **50.**

misce et sepone. Sedimentum liquore superiore decanthato misce cum

Aquae destillatae *partibus quinquaginta* ...... **50.**

et mixturam in vasis bene clausis serva.

Ante dispensandum decanthetur vel filtretur.

Sit limpidus, coloris expers, reactionis fortiter alkalinaei;

in aëre aut coquendo turbetur. Si in liquorem Calcis Acidum carbonicum excedens induxeris, liquor aliquamdiu coctus ne reactionem alkalinam praebeat.

5 cm^3 Liquoris alkalimetrici normalis ne plus quam *125 cm^3* liquoris Calcis requirant, ut neutralia fiant.

Liquor Ferri Citratis.

R.

Liquoris Ferri Persulphatis *partes octoginta quattuor* .... **84.**

dilue

Aquae destillatae *partibus mille* .... **1000.**

et agitans adde mixturam

Aquae Ammoniae *partium octoginta quattuor* ... **84.**

et

Aquae destillatae *partium ducentarum* ...... **200.**

tum mixturam per pannum colatum misce cum

Aquae destillatae *partibus mille* .... **1000.**

deinde identidem per pannum cola quoad Aqua adhibita Baryi Nitrate addito jam vix opalescens turbetur. Praecipitatum humidum in patella porcellanea cum

Acidi citrici *partibus triginta* .... **30.**

commixtum in balneo aquae calore 60° non superante agitans tamdiu calefac, quoad solutum sit, deinde filtra et *ad partes centum* evapora.

Sit liquor saturate fuscus, odoris expers, reactionis acidae,

pond. spec. 1.26, qui Aqua dilutus et cum paulo Acidi hydrochlorici commixtus Kalii Ferrocyanido addito praecipitatum praebeat saturate caeruleum neque Aqua Ammoniae praecipitetur.

Cum *duplici volumine* Liquoris Kali caustici coctus, quoad omne Ferrum in praecipitatum coloris fusci abierit, ne magnum Ammoniae odorem spargat; filtratum Acido acetico supersaturatum ne maiore quidem spatio interjecto praecipitatum praebeat crystallinum.

In stratis tenuibus calore modico evaporatus pro *centum partibus* circiter *40 partes* lamellarum Ferri Citratis, deinde ignitus *11 partes* Ferri Oxydi praebeat.

○ Liquór Ferri Perchloridi.

R.

Ferri Perchloridum

et solve *aequali* circiter *copia* Aquae, ut solutio fiat pond. spec. 1.280–1.282.

Sit liquor limpidus, saturate e fusco flavus, qui cum Spiritu limpide possit misceri.

Si bacillum vitreum Aqua Ammoniae irrigatum aut Chartam Zinci Iodidi et Amyli humidam admoveris, neve nebulae oriantur neve Charta colorem caeruleam trahat.

Cum *quincuplici volumine* Aquae commixtus liquorem efficiat, qui cum Aqua Ammoniae excedente coctus filtratum praebeat coloris expers, quod neque Ammonii Sulphido

praecipitetur neque Acido hydrochlorico diluto acidulatum Acido sulphydrico mutetur neque evaporatum et leviter ignitum plus quam vestigia residui fixi relinquat. Si huic filtrato cum *pari copia* Acidi sulphurici commixto, deinde refrigerato Solutionem Ferri Sulphatis saturatam superstraveris, zona fusca ne appareat.

Aqua dilutus (1 : 30) neve, si coxeris, turbetur, neve, si *nonnullas guttas* Acidi hydrochlorici diluti admiscueris, Solutione Kalii Ferricyanidi diluta caeruleus tingatur neve Baryi Nitrate plus quam opalescens turbetur.

5 gr. ope Aquae diluta et cum Aqua Ammoniae excedente cocta praecipitatum praebeant, quod elutum et ignitum *0.71* ad *0.72 gr.* valeat, id quod *10 partibus* Ferri vel *29 partibus* Ferri Perchloridi anhydri in *centum partibus* respondet.

Liquor Ferri Persulphatis.

R.

Ferri Sulphatis *partes octoginta* .... **80.**

Aquae destillatae *partes quadraginta* .... **40.**

Acidi sulphurici *partes quindecim* .... **15.**

Acidi nitrici *partes duodeviginti* .... **18.**

In cucurbita vitrea balneo aquae calefac, quoad liquor fuscus et limpidus factus sit, cuius *una gutta* Aqua diluta Kalii Ferricyanido addito colorem caeruleum non trahat. Tum solutionem in patella porcellanea, cuius pondus

exegeris, *ad centum partes* evapora et residuum paulo Aquae solutum denuo evapora; hanc operationem repete, quoad in Liquore fervido jam nullum Acidum nitricum odore cognoscatur; jam Aquam destillatam adde, quoad pondus fiat *partium centum sexaginta* .... **160.**

Sit liquor limpidus, paulum subcrassus, e subfusco flavus, pond. spec. 1.428–1.430.

Quincuplici volumine Aquae dilutus liquorem efficiat, qui Baryi Nitrate addito praecipitatum album, Kalii Ferrocyanido addito saturate fuscum praebeat, Kalii Ferricyanido addito colorem caeruleum non trahat, Argenti Nitrate addito opalescens tantummodo turbetur. Cum Aqua Ammoniae excedente calefactus filtratum praebeat coloris expers, quod neque Ammonii Sulphido praecipitetur neque Acido hydrochlorico diluto acidulatum Acido sulphydrico mutetur neque evaporatum et leni ardori expositum quicquam nisi vestigia residui fixi relinquat neque cum *pari volumine* Acidi sulphurici commixtum, si Solutionem Ferri Sulphatis saturatam superstraveris, zonam fuscam praebeat.

5 gr. ope Aquae diluta et cum Aqua Ammoniae excedente cocta praecipitatum praebeant, quod elutum et ignitum *0.71–0.72 gr.* valeat, id quod *10 partibus* Ferri vel prope *36 partibus* Ferri Persulphatis anhydri in *centum partibus* respondet.

Liquor Guttaperchae.

℞.

Guttaperchae in frusta parva et tenuia dissectae *partem unam* .... 1.

Chloroformi *partes decem* .... 10.

Plumbi Carbonatis *partem unam*.................... 1.

Guttapercham cum 7 *partibus* Chloroformi in vase clauso conquassa, quoad soluta sit. Huic solutioni adde Plumbi Carbonatem antea cum reliquo Chloroformo commixtum. Per complures dies identidem conquassa, quoad liquor postquam subsedit, limpidus appareat; tum hunc decantha.

Sit liquor limpidus, coloris expers aut prope expers, qui in stratum tenue redactus Chloroformo evaporato membranam elasticam et pellucidam relinquat.

Caute in vasis parvis iisque bene clausis servetur.

Liquor Kalii Arsenitis.

Liquor Fowleri.

℞.

Acidi arsenosi pulverati *partem unam* .... 1.

Kalii Bicarbonatis *partem unam* .... 1.

Aquae destillatae *partes decem* .... 10.

Mixturam in cucurbita coque, quoad Acidum arsenosum solutum sit, deinde refrigeratae adde

Tincturae Lavandulae compositae *partes tres*.. 3.

et tantum Aquae destillatae, ut tota mixtura valeat *partes centum*.. 100.

Per 8 dies sepone, deinde filtra.

Sit liquor limpidus aut leviter turbidus, coloris e rutilo flavi, odoris aromatici, tantum Arseni continens, quantum *uni parti* Acidi arsenosi ($As_2 O_3$) in *centum partibus* respondet.

Cautissime neque nimis diu servetur.

Liquor Natri chlorati.

R.

Calcis Chloratae *partes centum* .... 100.

Natrii Carbonatis crudi *partes centum viginti quinque* .... 125.

Aquae *partes octingentas*........................... 800.

Dimidia copia Aquae Calcem Chloratam accurate tere, Natrii Carbonatem altera parte Aquae antea fervefacta solve, hos liquores agitans misce. In vase tecto sepone, tum liquorem limpidatum separa.

Sit liquor limpidus, reactionis alkalinae, chlorum leviter redolens, qui Acido hydrochlorico diluto addito Chlorum emittat neque Natrii Carbonate addito turbetur.

10 cm³ ope *200 cm³* Aquae, in quibus antea *3.0 gr.* Kalii Iodidi solveris diluta et cum *15 cm³* Acidi hydrochlorici diluti commixta ad Iodum liberatum denuo ligandum ne

minus quam *60 cm³* Liquoris decinormalis Natrii Thiosulphatis requirant, id quod minimum *2 partibus* Chlori efficacio in *centum partibus* respondet.

In vasis bene clausis loco frigido servetur.

Liquor Plumbi dilutus.

Aqua Goulardi.

R.

Liquoris Plumbi Subacetatis *partes duas*...... **2.**

Aquae *partes nonaginta octo*........................ **98.**

Misce.

Sit liquor paulum albidus, turbidus.

Ad dispensandum tantummodo paretur.

○ Liquor Plumbi Subacetatis.

R.

Plumbi Acetatis *partes sexaginta* .... **60.**

Plumbi Oxydi in pulverum subtilissimum redacti *partes viginti*.............................. **20.**

Aquae destillatae *partibus decem*................ **10.**

additis contere et in balneo aquae calefac, quoad mixtura initio subflava colorem album aut e rutilo album traxerit. Tum adde

Aquae destillatae *partes centum quinquaginta*... **150.**

Sepone, tum liquorem decanthatum Aqua destillata ad pond. spec. 1.235–1.240 dilue, deinde filtra.

Sit liquor limpidus, coloris expers, quem Acidum carbonicum colore albo turbet. Kalii Ferrocyanido et Acido acetico additis praecipitatum coloris pure albi praebeat. Solutio Acido sulphydrico saturata praecipitatum praebeat nigrum, quod defiltratum liquorem exhibeat, qui evaporatus nihil residui fixi relinquat.

Solutio cum Liquore Natri caustici commixta praecipitatum praebeat album, quod Liquore Natri caustici excedente solvatur; haec solutio calefacta ne vapores ammoniacales exhalet.

Caute in vasis bene clausis servetur.

Lithii Carbonas.

Pulvis albus levis, reactionis alkalinae, odoris expers, calore liquescens, Aquae *partibus 150* solubilis, Spiritu non solubilis.

Acido nitrico addito effervescens in liquorem limpidum solvitur, qui flammam coloris expertem coccineam tingat. Solutio Acido hydrochlorico effecta neve Acido sulphydrico neve Aqua Ammoniae addita mutetur, etiamsi postea Ammonii Sulphidum aut Oxalatem addideris. Solutio Acido nitrico diluto effecta neve Argenti neve Baryi Nitrate turbetur.

0.1 gr. in *1* cm^3 Acidi sulphurici diluti solutum additis *1* cm^3 Aquae et *4* cm^3 Spiritus liquorem limpidum efficiat.

Lobelia.

Lobelia inflata *Linn.*

Herba, dum floret, collecta et siccata, quae ex America septentrionali dissecta et compressa et in fasces oblongos, quadrangulos condita venit. Folia petiolis carent, dispersa circiter *5* ad *10 cm* longa, oblonge ovata, impariter crenato serrata, utrimque pilis brevibus praedita sunt. Corolla bilabiata et pallide violacea, Calyx quinque partibus et lobis longis, angustis, uninervibus insignis est. Capsula inflata, infera multa semina fusca vix *0.5 mm* magna continet. Sapor initio mitis, postea acutus et acer est.

Caute servetur.

Lupulinum.

Humulus Lupulus *Linn.*

Pulvis e subfusco flavus, subcrassus, constans e glandulis deinflorescentia collectis; quae microscopo adhibito formam plus minusve boleto similem et reticulatim venosam exhibent neque praeter pauca plantae lupuli fragmenta alienas res admixtas praebent.

In Aethere ne plus quam *tertia pars ponderis* insolubilis

restet; hoc extracto aetheres evaporato residuum fuscum maneat, fortiter lupulum redolens.

Lupulinum in cinerem redactum pro *centum partibus* ne plus quam *decem partes* residui fixi relinquat.

A luce tutum ne ultra unum annum in vasis bene clausis servetur.

Lycopodium.

Lycopodium clavatum *Linn.* et aliae **Lycopodii** species.

Pulvis subtilissimus, admodum mobilis, pallide flavus, odoris et saporis expers; Aquae infusus in superficie natat et flammae inspersus celerrime cum stridore deflagrat. Ope microscopi intuenti cellulae reticulate costatae appareant, quae tribus lateribus satis planis et uno latere convexo includantur neve ulla admixtio cognoscatur pollinis Pini, Coryli Typhae specierum, Amyli, Sulphuris, Arenae etc.

In cinerem redactum pro *centum partibus* ne plus quam *quinque partes* residui fixi relinquat.

○ Magnesii Carbonas.

Massae albissimae, leves, odoris et saporis expertes, facile friabiles aut pulvis mollis, albus, Spiritu non solubilis, Aqua paulum tantummodo cum reactione leviter alkalina,

acidis facile cum Acidi carbonici emissione solubilis.

Cum Aqua coctus filtratum praebeat, quod evaporatum paulum tantummodo residui fixi relinquat. Ignitus *centum partium 55–60* perdiderit.

0.2 gr. cum *10 cm³* Acidi hydrochlorici diluti cocta liquorem efficiant limpidum, coloris expertem, qui neque Acido sulphydrico mutetur neque cum Ammonii Chlorido excedente commixtus et Aqua Ammoniae supersaturatus aut Ammonii Sulphido omnino aut Ammonii Oxalate plus quam levissime turbetur, Natrii autem Phosphate addito magnum praecipitatum praebeat album, crystallinum.

Solutio Acido nitrico diluto (1 : 50) effecta neve Baryi neve Argenti Nitrate plus quam opalescens turbetur.

Magnesii Citras effervescens.

R.

Magnesii Carbonatis *partes viginti quinque*... **25.**

Acidi citrici *partes septuaginta quinque*......... **75.**

Aquae destillatae *partes decem* .... **10.**

Exacte misce, calore circiter 30° sicca et in pulverem subtilem redige. Hunc exacte misce cum

Natrii Bicarbonatis in pulverem subtilem redacti *partibus octoginta quinque* .... **85.**

Acidi citrici in pulverem subtilem redacti *partibus quadraginta* .... **40.**

Sacchari in pulverem subtilem redacti *partibus viginti* .... **20.**

Mixturam dum Spiritum instillas, pistillo leniter terens in massam micosam redige, quae calore lenisiccata cribrando in pulverem aequabilem, crasse granulosum redigatur.

Sit pulvis crasse granulosus, in aëre diffluens, reactionis acidae, qui Aqua lente et magnam copiam Acidi carbonici emittens solvatur.

Solutio aquosa saturata neve Aqua hydrosulphurata mutetur neve cum Solutione Kalii Acetatis et paulo Acidi acetici commixta praecipitatum crystallinum praebeat neve cum Ammonii Chlorido excedente commixta et ope Aquae Ammoniae supersaturata Ammonii Oxalate plus quam opalescens turbetur, Natrii autem Phosphate addito magnum praecipitatum praebeat album, crystallinum.

Solutio aquosa cum paulo Acidi nitrici commixta neve Baryi neve Argenti Nitrate plus quam opalescens turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Magnesii Oxydum.

Pulvis albus, levis, subtilis, qui Aqua humectatus reactionem praebeat leviter alkalinam.

Cum Aqua coctum filtratum praebeat, quod evaporatum levissimam tantummodo copiam residui relinquat.

Si *0.2 gr.* cum *5* cm^3 Aquae coxeris et mixturam

refrigeratam in *quinque cm³* Acidi hydrochlorici immiseris, ne perspicua gasis evolutio fiat. Haec solutio neve Acido sulphydrico mutetur neve cum Ammonii Chlorido excedente commixta et ope Aquae Ammoniae supersaturata Ammonii Sulphido omnino aut Ammonii Oxalate plus quam levissime turbetur, Natrii autem Phosphate addito magnum praecipitatum praebeat album crystallinum.

Solutio Acido nitrico diluto (1 : 50) effecta neve Baryi neve Argenti nitrate plus quam opalescens turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

O Magnesii Sulphas.

Crystalli parvi, coloris expertes, in aëre vix fatiscentes, saporis refrigerantis, amaro-salsi, Aquae frigidae *partibus 0.8* aut ebullientis *partibus 0.15* solubiles, Spiritu tantum non insolubiles.

Solutio aquosa Baryi Nitrate addito praecipitatum praebeat album, acidis non solubile; cum Ammonii Chlorido et Aqua Ammoniae commixta Natrii Phosphate addito praecipitatum praebeat album crystallinum.

Solutio aquosa neutralis sit; Acido hydrochlorico diluto acidulata neve Acido sulphydrico omnino aut Argenti Nitrate plus quam opalescens turbetur neve cum Ammonii Chlorido excedente commixta Ammonii Sulphido mutetur.

Flammam coloris expertem ne constanter flavam coloret.

Mangani Oxydum nigrum.

Frusta aut pulvis gravis, crystallinus vel densus, e grisco niger, colorem remittens, in aëre persistens, odoris et saporis expers, qui cum Acido hydrochlorico calefactus magnam copiam Chlori emittat.

Pulvis Acido nitrico diluto superfusus ne effervescat; cum Kali caustico et Kalii Nitrate ignitus viride efficiat.

Si *5 gr.* Mangani Oxydi nigri in pulverem subtilem redacti cum *15 cm*^{3} Aquae et *15 cm*^{3} Acidi hydrochlorici commiscueris et *10 grammatis* Ferri Sulphatis additis mixturam ferveféceris, filtratum refrigeratum Solutione Kalii Ferricyanidi recenti addita ne colorem caeruleum trahat, id quod minimum *60 partibus* Mangani Peroxydi in *centum partibus* respondet.

Manna.

Fraxinus Ornus *Linn.*

Sucus e trunco inciso paratus, postea siccatus. Sint granula crystallina saporis dulcis, coloris pallide flavi aut frusta formae sive rotundate trigonae sive plane canalicularis, nonnumquam ope massae mollis, subfuscae, sapore paulum radente et dulci insignis, in glebas unita.

Viginti partibus Spiritus ebullientis fere perfecte solvatur; haec solutio refrigerando multos crystallos Manniti excreverit.

Matico.

Artanthe elongata *Miq.*

Folia breviter petiolata, ad *viginti centimetra* longa, ad *quinque centimetra* lata, oblonge lanceolata, apice acuminata, in basi inaequalia, fere cordiformia, in margine subtiliter crenata, in latere superiore viridia, in inferiore grisea, pilis macularibus et tomentosis praedita. Luci objecta punctis diaphanis distincta apparent, trita odorem spargunt suaviter aromaticum. Sapor fortiter aromaticus et paulum subamarus est.

Compressa et cum florum ramorumque partibus commixta in fasciculis ex America importatis veneunt.

Mel.

Apis mellifica *Linn.*

Liquor in statu recenti diaphanus lente liquidus, tenax, postea turbide granulosus, coloris ex albido flavi, saporis dulcissimi, odoris suavis subdulcis, Aqua aut Spiritu diluto solubilis.

Solutio aquosa (1 : 5) perfecte aut tantum non perfecte limpida sit et *nonnullis guttis* Solutionis Argenti aut Baryi Nitratis, si omnino, levissime tantummodo turbetur. *Pari volumine* Aquae dilutum et paulatim cum *quinque voluminibus* Spiritus absoluti commixtum neve opacum fiat neve sedimentum praebeat floccosum aut syrupo simile.

Mel depuratum.

R.

Mellis *partem unam*..**1.**

Aquae destillatae *partes duas*...............................**2.**

Mixturam fere per unam horam ita, ut non ebulliat, ad 100° calefac. Liquorem ad 50° vel 70° refrigeratum per pannum laneum cola et in bolneo vaporis ad syrupi consistentiam evapora, deinde iterum cola.

Sit liquor limpidus, qui etiam Aqua admixta limpidus maneat, coloris e flavo subfusci, pond. spec. 1.34. Odor saporque neve empyreumaticus neve acidus sit.

In vasis bene clausis loco frigido servetur.

Mentha.

Mentha arvensis *Linn.* var. **piperascens** *Holmes.*

Folia petiolata, ovato-lanceolata, pilosa, in basi integra, apicem versus serrata, odoris fortis peculiaris, saporis urentis aromatici postea refrigerantis.

○ Morphini Hydrochloras.

Crystalli aciculares, albi, nitoris sericei, in aëre persistentes, saepe in fasciculos uniti, odoris expertes, Aquae *partibus viginti quinque* aut Spiritus *partibus* circiter *sexaginta quinque* solubilis, Aethere non solubiles,

qui calore 100° siccati pro *centum partibus* prope *14.5 partes* Aquae perdiderint. In lamina platinea ignitus liquescat et carbonescat, postremo deflagret neve cinerem relinquat.

Acido nitrico humectatus rubrum, Solutione Ferri Perchloridi diluta humectatus caeruleum, Acido sulphurico solutus ne ullum trahat colorem.

Solutio aquosa neutralis sit; Argenti Nitrate addito praecipitatum praebeat album, Acido nitrico non solubile; Liquore Kali caustici addito praecipitatum praebeat album praecipitamento excedento solubile; Aqua Ammoniae addita praecipitatum praebeat, quod paulatim crystallinum fiat et Aethere vix solvatur.

Cautissime servetur.

Morphini Sulphas.

Crystalli aciculares, coloris expertes aut albi, nitoris sericei, odoris expertes, qui Aquae *partibus 24* aut Spiritus *partibus* circiter *700* solvantur, neutram praebentes reactionem, et ad 130° calefacti pro *centum partibus* prope *12 partes* Aquae perdiderint. In lamina platinea ignitus liquescat et carbonescat, postremo deflagret neve residuum fixum relinquat.

Solutio aquosa Baryi Nitrate addito praecipitatum praebeat album, Acido nitrico diluto non solubile, Liquore Kali caustici addito praecipitatum copia excedente solubile.

Acido nitrico ruber, Solutione Ferri Perchloridi diluta caeruleus tingatur, Acido sulphurico solutus ne ullum trahat colorem.

Solutio aquosa paulo Acidi nitrici diluti acidulata Argenti Nitrate ne turbetur; Aqua Ammoniae addita praecipitatum praebeat quod paulatim crystallinum fiat et Aethere vix solvatur.

Cautissime servetur.

Morum.

Morus alba *Linn.*

Fructus globosi vel cylindrici, ad *2 cm* longi et circiter *1 cm* crassi, recentes, maturi, sucosi, compositi, coloris saturate purpurei, saporis subdulcis.

Moschus.

Moschus moschiferus *Linn.*

Massa e praeputiis secreta, in statu recenti paulum mollis, postea sicca, friabilis, e granulis non cohaerentibus constans, coloris subnigri vel saturate e rutilo fusci, parvis pilis et tenuibus menbranulis permixta, in folliculis *4* ad *5 centimetra* magnis inclusa. Horum latus alterum calvum, alterum pilis distinctum est, qui in margine appressi, in media parte circum duo foramina in verticem

erecti sunt. Massa e membranis et pilis liberata tantummodo adhibeatur.

Odor sit peculiaris, diu persistens, penetrans.

Mucilago Gummi arabici.

R.

Gummi Arabici *partem unam* .... 1.

Aqua destillata celeriter elue et superfunde

Aquae destillatae *partes duas* .... 2.

Solutione agitando effecta cola.

Loco frigido non nimis diu servetur.

Myristica.

Myristica fragrans *Houtt.*

Semina ovalia, ad circiter *25 mm* longa, *15 mm* crassa. Superficies subfusca, pulvere albido adspersa rugosa sulco plus minusve perspicuo, tenui praedita est. Per fracturam tela pallide subfusca speciem praebet implicationibus saturate fuscis integumenti interioris variegatam. Odor suaviter aromaticus, sapor simul subamarus est.

Myrrha.

Balsamodendron Myrrha *Nees.*

Gummi resina, constans e frustis irregulariter subrotundis, diversae magnitudinis, extrinsecus subflava vel e rutilo fusca, intus saepe venis clarioribus distincta. Fractura pallide nitet, odor peculiariter aromaticus, sapor amarus idemque acer est.

Aqua maxima Myrrhae parus in liquorem turbidum, Spiritu fere *tertia pars* in liquorem limpidum, e rubro flavum solviter, qui Acido nitrico addito colorem violaceum trahat.

Natrii Acetas.

Crystalli coloris expertes, pellucidi, odoris expertes, in aëre sicco fatiscentes, Aquae frigidae *partibus tribus* aut ebullientis *parte una*, Spiritus frigidi *partibus triginta* aut ebullientis *partibus duabus* solubiles. In calore liquescit et in massam abit albam et siccam, quae calore maiore iterum liquescat et carbonescat et residuum relinquat reactionis alkalinae, flammam coloris expertem constanter flavam tingens. Acido sulphurico superfuso odorem Acidi acetici exhalet neve colorem trahat.

Solutio aquosa (1 : 20) sive neutralis sit sive leviter alkalina; Ferri Chlorido saturata e rubro fusca tingatur neve praecipitetur; neve Acido sulphydrico neve Ammonii

Sulphido aut Oxalate mutetur; cum paulo Acidi nitrici commixta Baryi Nitrate nequaquam, Argenti Nitrate ne plus quam opalescens turbetur.

In vasis bene clausis servetur.

Natrii Benzoas.

Pulvis albus, odoris expers, amorphus aut semi-crystallinus, Aquae *partibus duabus* aut Spiritus *partibus quinquaginta* solubilis. In calore liquescit et carbonescit, postremo residuum relinquit alkalinum acidis additis effervescens, flammam coloris expertem constanter flavam tingens.

Cum Liquore Natri caustici calefactus ne vapores ammoniacales exhalet.

Solutio aquosa (1 : 20) reactionem praebeat leviter acidam, Baryi Nitrate ne turbetur, Ferri Chlorido addito praecipitatum praebeat pallide e rutilo fuscum; cum Acido nitrico commixta acidum crystallinum excernat eius qualitatis, quae sub Acido benzoico descripta est; si hunc liquorem cum Acido nitrico commixtum et Spiritu addito limpidatum cum Argenti Nitrate commiscueris, ne praecipitatum appareat.

In vasis bene clausis servetur.

○ Natrii Bicarbonas.

Massa aut crustae crystallinae, albae, in aëre persistentes, odoris expertes aut pulvis albus, crystallinus, saporis refrigerantis et leviter alkalini, leniter salsi, Aquae *partibus quattuor decim* solubilis, Spiritu non solubilis.

In auricula fili platinei ignitus flammam coloris expertem constanter flavam tingat; haec per vitrum caeruleum visa, si omnino, paulisper tantummodo rutila appareat.

Ardori expositus albus remaneat et Acidum carbonicum emittat, postremo pro *centum partibus partes sexaginta tres* Natrii Carbonatis anhydri relinquat.

Solutio aquosa (1 : 20) cum Liquore Natri caustici calefactus neve vapores ammoniacales exhalet neve Ammonii Sulphido aut Oxalate mutetur; Acido sulphurico diluto acidulata multum Acidum carbonicum emittat, neve Acido sulphydrico mutetur neve Solutionem Iodi decoloret; Acido nitrico acidulata Argenti aut Baryi Nitrate ne plus quam opalescens turbetur.

Duo grammata huius salis in *triginta* cm^3 Aquae frigidae soluta et cum *sex* cm^3 Solutionis Hydrargyri Perchloridi commixta intra tres minutas leviter tantummodo colore albo turbentur neve praecipitatum e rubro fuscum praebeant.

2.1 gr. huius salis requirant *24.5* ad *25* cm^3 Liquoris alkalimetrici normalis, ut saturentur.

Natrii Boras.

Crystalli coloris expertes, diaphani, in aëre sicco leviter fatiscentes, saporis mitis, refrigerantis, leviter alkalini, Aquae frigidae *partibus 15* aut ebullientis *partibus 0.5* solubiles, Spiritu non solubiles. Calefactus in Aqua crystallisationis liquescit, deinde valde intumescit et in massam albam, porosam mutatur, quae ardori rubro exposita in vitrum album liquescat et pro *centum partibus* prope *47 partes* Aquae amittat.

Solutio aquosa (1 : 20) reactionem praebeat leviter alkalinam neve Natrii Carbonate neve, etiamsi antea Acidum hydrochloricum admiscueris, Acido sulphydrico mutetur, neve acidis additis effervescat.

Solutio aquosa (1 : 100) cum Acido nitrico commixta neve *nonnullis guttis* Baryi Nitratis omnino neve Argenti Nitrate plusquam opalescens, turbetur.

Natrii Carbonas.

Crystalli coloris expertes, diaphani, odoris expertes, in aëre fatiscentes, reactionis fortiter alkalinae, Aquae frigidae *partibus 1.8* aut ebullientis *partibus 0.3* solubiles, Spiritu non solubiles, acidis facile cum effervescentia solubiles.

Solutio aquosa (1 : 10) neve Acido hydrochlorico acidulata Acido sulphydrico mutetur neve Acido sulphurico diluto supersaturata Solutionem Iodi decoloret.

Solutio aquosa (1 : 30) Acido nitrico acidulata Baryi Nitrate nequaquam, Argenti Nitrate, si omnino opalescens tantummodo turbetur.

Solutio Acido sulphurico diluto effecta et cum *pari volumine* Acidi sulphurici commixta, si Solutionem Ferri Sulphatis saturatam superstraveris ne colorem fuscum praebeat.

In calore liquescat et pro *centum partibus* prope *37 partes* salis albi anhydri relinquat, flammam coloris expertem constanter flavam tingentis. *1.06 gr.* huius residui requirant *19.5* ad *20* cm^3 Liquoris alkalimetrici normalis, ut saturentur.

In vasis bene clausis servetur.

Natrii Carbonas crudus.

Crystalli magni, coloris expertes aut massae crystallinae reactionis fortiter alkalinae, in aëre fatiscentes, Aqua facile, acidis cum effervescentia solubiles.

Solutio aquosa, etiamsi Acido hydrochlorico acidulata, Acido sulphydrico ne mutetur.

Solutio aquosa (1 : 50) Acido nitrico diluto acidulata Argenti aut Baryi Nitrate ne plus quam opalescens turbetur.

Solutio Acido sulphurico diluto effecta et cum *pari volumine* Acidi sulpurici commixta, si Solutionem Ferri Sulphatis saturatum superstraveris, ne colorem fuscum

praebeat.

In calore liquescat et pro *centum partibus* minimum *32 partes* salis albi, anhydri relinquat, flammam coloris expertem constanter flavam tingentis. *1.06 gr.* huius residui requirant *19* ad *20 cm³* Liquoris alkalimetrici normalis, ut saturentur.

Natrii Carbonas siccus.

R.

Natrii Carbonatem, qui in pulverem crassum reductus per complures dies in aëre fatiscat. Tum calore 40°–50° siccans ad *dimidiam partem ponderis* originalis redige, deinde per cribrum transmitte.

Sit pulvis albus, subtilis, mollis, qui ad reagentia se habeat, sicut sub Natrii Carbonate dictum est. Ignitus pro *centum partibus* prope *75 partes* pulveris albi, anhydri relinquat, flammam coloris expertem constanter flavam tingentis. *1.06 gr.* huius residui requirant *19.5* ad *20 cm³* Liquoris alkalimetrici normalis, ut saturentur.

In vasis bene clausis servetur.

Natrii Chloridum.

Pulvis albus, cubicus, crystallinus, saporis pure salsi, odoris expers, in aëre persistens, Aquae *partibus 2.8*, Spiritu vix solubilis.

In auricula fili platinei ignitum flammam coloris expertem constanter flavam tingat.

Solutio aquosa Argenti Nitrate addito residuum praebeat album, quod Aqua Ammoniae facile, Acido nitrico non solvatur.

Solutio aquosa (1 : 20) neutralis sit neve Acido sulphydrico aut Ammonii Sulphido aut Baryi Nitrate aut Natrii Carbonate aut Ammonii Oxalate turbetur. Solutio aquosa, saturata cum Chloroformo conquassata, si Aquam Chlori instillaveris, ne colorem trahat subfuscum aut violaceum.

Natrii Phosphas.

Crystalli coloris expertes, diaphani, odoris expertes, in aëre sicco fatiscentes, saporis refrigerantis, leviter salsi, reactionis alkalinae, Aquae *partibus 6* solubiles, Spiritu non solubiles, calore 40° liquescentes.

In auricula fili platinei ignitus flammam coloris expertem flavam tingat; haec per vitrum caeruleum visa, si omnino, paulisper tantummodo rubra appareat.

Solutio aquosa Baryi Nitrate addito praecipitatum praebeat album, Acido nitrico diluto solubile; Argenti Nitrate addito praecipitatum praebeat flavum, Acido nitrico diluto nec non Aqua Ammoniae solubile.

Solutio aquosa (1 : 10) Ammonii Sulphido ne mutetur, Acido hydrochlorico acidulata neve effervescat neve s

Acido sulphydrico saturaveris mutetur.

Ardore leni, rubro ab aqua liberatus pro *centum partibus 37* ad *38 partes* residui albi relinquat.

In vasis bene clausis servetur,

○ Natrii Salicylas.

Lamellae crystallinae aut pulvis crystallinus, albus, in aëre persistens, odoris expers, saporis e subdulci salsi, Aquae *partibus aequalibus* aut Spiritus *partibus 6* solubilis.

Solutio aquosa, valde diluta Ferri Perchlorido addito colorem exhibeat violaceum; solutio aquosa, concentrata sive coloris expers sit sive leviter rutila, reactionis leviter acidae; Acido hydrochlorico addito sine effervescentia massam crystrallinam praebeat albam, Aethere facile solubilem.

In aëre ignitus et in cinerem redactus pro *centum partibus 30* ad *31 partes* residui relinquat cum acidis fortiter effervescentis, flammam coloris expertem constanter flavam tingentis.

Acido sulphurico solutus colorem, si ullum omnino, levissimum tantummodo trahat.

Solutio aquosa (1 : 20) Baryi Nitrate ne mutetur; cum Acido nitrico commixta Spiritu addito solutionem limpidam praebeat, quae Argenti Nitrate, si omnino, opalescens tantummodo turbetur.

○ Natrii Sulphas.

Crystalli coloris expertes, pellucidi, odoris expertes, facile liquescentes, in aëre sicco fatiscentes, saporis refrigerantis, salsi, subamari, Aquae frigidae *partes tres* Aquae 33° *partibus 0.3* solubiles, Spiritu non solubiles.

Flammam coloris expertem constanter flavam tingat. Solutio aquosa Baryi Nitrate addito praecipitatum praebeat album, acidis non solubile.

Solutio aquosa (1 : 20) neutralis sit neve Acido sulphydrico aut Ammonii Sulphido aut cum Aqua Ammoniae commixta Natrii Phosphate aut Ammonii Oxalate mutetur, neve Argenti Nitrate plus quam opalescens turbetur.

Cum Liquore Natri caustici calefactus ne vapores ammoniacales exhalet; solutio Acido sulphurico effecta, si Solutionem Ferri Sulphatis saturatam superstraveris, ne colorem fuscum praebeat.

In vasis bene clausis servetur.

Natrii Sulphis.

Crystalli coloris expertes, diaphani, in aëre sicco fatiscentes, reactionis sive neutrius sive leviter alkalinae, Aquae *partibus quattuor* limpide solubiles.

In auricula fili platinei ignita flammam coloris expertem constanter flavam tingat; haec per vitrum caeruleum visa, si omnino, paulisper tantummodo rubra appareat.

Solutio aquosa Acido sulphurico diluto addito sine effervescentia aut turbatione odorem spargat sulphuris incensi.

Solutio aquosa (1 : 100) cum Acido hydrochlorico diluto commixta Baryi Nitrate si omnino leviter tantummodo turbetur.

0.63 gr. huius salis in *10 cm³* Aquae soluta decolorent minimum *45 cm³* Liquoris Iodi decinormalis, id quod minimum *90 partibus* Natrii Sulphitis ($Na_2 SO_3 + 7 H_2 O$) in *centum partibus* respondet.

In vasis bene clausis servetur.

Oleum Amygdalae aethereum.

Oleum aetherum in Aqua Amygdalae amarae paranda effectum, coloris subflavi, odoris peculiariter aromatici, reactionis sive neutrius sive leviter acidae, pond. spec. 1.06–1.07, Spiritus aut Aetheris quavis proportione, Aqua difficulter solubile, calore 170°–180° ebulliens.

Nonnullae guttae huius Olei cum *decemplici copia* Liquoris Kali caustici diluti commixtae et leni calore cum paulo Solutionis Ferri Sulphatis conquassatae, deinde Acido hydrochlorico diluto acidulatae colorem efficiant caeruleum. Acido nitrico fumanti limpide solvatur vapores rutilos non exhalans. *Duo grammata* huius Olei in *20 cm³* Spiritus soluta et cum *5 cm³* Acidi sulphurici diluti commixta, si paulum Zinci puri addideris et nonnullis

horis interjectis solutionem filtraveris, deinde Spiritum balneo aquae evaporaveris, residuum relinquant, quod ope Liquoris Natri caustici neutralisatum Liquore Natri Chlorati addito colorem violaceum non efficiat.

Cautissime servetur.

Oleum Amygdalae expressum.

Prunus Amygdalus *Baill.* **Prunus armeniaca** *Linn.*

Oleum pingue, e seminibus frigide expressum. Sit limpidum, pallide flavum, valde liquidum, non rancidum, odoris fere expers, saporis mitis. Ad 10° refrigeratum limpidum remaneat. Pondus specificum sit 0.915–0.920.

Si *partes aequales* Acidi nitrici fumantis et Aquae commixtas cum *pari* Olei *volumine* fortiter conquassaveris, mixtio fiat albida, non fusca aut rubra, quae nonnullis horis peractis in massam solidam, albam et liquorem coloris fere expertem discedat.

Si Olei *guttas* circiter *decem* super substrato albo cum *nonnullis guttis* Acidi sulphurici congesseris, ne miscendo quidem color e subfusco flavus appareat.

Oleum Aurantii Corticis.

Citrus Bigaradia *Duhamel.*

Oleum aethereum, e fructus corticibus recentibus paratum. Sit valde liquidum, subflavum, odoris peculiariter

aromatici, saporis simul amariusculi; non cum quavis portione Spiritus possit misceri, Iodo addito vehementer detonet. Pondus specificum est 0.854–0.875.

Oleum Aurantii Florum.

Variae **Citri** species.

Oleum e floribus recentibus ope Aquae destillatum. Sit valde liquidum, e subfusco flavum, reactionis neutrius, odoris suavissimi. *Una* vel *duabus* Spiritus *partibus* limpide solvatur. Pondus specificum est 0.86–0.89.

Aliquanto Spiritus superfusum in vase leniter versato fluorescentiam belle violaceam praebeat.

Oleum Cacao.

Theobroma Cacao *Linn.*

Sebum e nucleis seminum expressum, odoris lenis, peculiaris et saporis mitis. Sit album; calore circiter 35° vel 40° in liquorem mutetur limpidum, non rancidum, reactionis neutrius. *Tribus partibus* Aetheris limpide et plane solvatur. Pondus specificum sit 0.94–0.95.

Oleum Cajeputi.

Melaleuca Leucadendron *Linn.*

Oleum aethereum ope Aquae e foliis destillatum. Sit pallide flavum vel subviride, neutrale, valde liquidum, odoris penetrantis, camphorae similis; cum Spiritus parte qualibet limpide possit misceri. Pondus specificum 0.91–0.93.

Cum Aceto puro et Kalii Ferrocyanidi *gutta una* conquassatum ne colorem fuscum trahat.

Oleum Caryophylli.

Eugenia caryophyllata *Thunb.*

Oleum e Caryophyllis ope Aquae destillatum. Sit limpide subflavum vel subfuscum, satis lente liquidum; Aqua submergatur; Spiritus parte qualibet solvatur. Pondus specificum est 1.04–1.06.

Olei *pars una* cum *centum partibus* Aquae fervidae conquassata post refrigerationem filtratum praebeat reactionis neutrius, quod Ferri Perchlorido addito colorem neque caeruleum fuscum neque viridem trahat. Cum *pari volumine* Aquae Ammoniae fortioris in frigore conquassatum in massam mollem, flavam, crystallinam concrescat.

Oleum Cinnamomi.

Cinnamomum Cassia *Blume.*

Oleum aethereum ope Aquae e Cinnamomo destillatum. Sit limpidum, satis lente liquidum, coloris aurei vel e flavo fusci, aqua gravius, Spiritus parte qualibet solubile, reactionis leviter acidae. Pond. spec. 1.04–1.07.

Quinque Olei *guttae* cum *quinque guttis* Acidi nitrici fumantis conquassatae pultem crystallinum efficiant. Acetum purum cum Oleo conquassatum Acido sulphydrico ne mutetur.

Oleum Crotonis.

Croton Tiglium *Linn.*

Oleum pingue, e seminibus a cortice liberatis frigide expressum, quod cuti infricatum colorem rutilum efficiat. Sit satis lente liquidum, flavum vel e subfusco flavum, odoris peculiaris et ingrati, reactionis acidae. Sapor primo mitis, postea acer et constanter urens est. Spiritu difficulter, Aethere facile solvatur. Pond. Spec. 0.94–0.95.

Olei *gutta una* cum *viginti guttis* Acidi sulphurici mixturam saturate fuscam, limpidam, pellucidam efficiat.

Cautissime in lagoenis bene clausis servetur.

Oleum Eucalypti.

Eucalyptus globulus *Labillardière.*

Oleum ope Aquae e foliis destillatum. Sit valde liquidum, neutrale, limpidum, coloris expers vel pallide flavum. Pond. spec. 0.900–0.925. Iodo addito ne detonet, cum quavis portione Spiritus limpide possit misceri. Odorem terebinthinae similem ne exhibeat.

Oleum Foeniculi.

Foeniculum capillaceum *Gilib.*

Oleum ope Aquae e fructibus destillatum, in frigore massam albam crystallinam excernens, in calore inter 5° et 10° plane rigescens. Spiritus *copia* circiter *aequali* limpide solvatur. Pond. spec. 0.96–0.99.

○ Oleum Jecoris.

Gadus Morrhua *Linn.* et aliae species **Gadi.**

Oleum pingue ex jecoribus paratum. Sit limpidum, ad stramenti vel auri instar flavum, ponderis specifici 0.925–0.930, odoris pisces leniter reddentis, non ingrate rancidi, saporis mitis, pisces leniter reddentis.

Chartam exploratoriam, caeruleam, Spiritu humectatam leviter modo rubefaciat. Calori 0° diutius sepositum

limpidum maneat neve materiam albam, solidam excernat.

Si Olei *guttas 10* super substrato albo cum *una gutta* Acidi sulphurici congesseris, in eo loco, quo liquores inter se contingunt, color oriatur e purpureo violaceus, qui sensim fuscus fiat.

Cum *pari volumine* Acidi nitrici fumantis conquassatum etiam compluribus horis interjectis colorem e rubro fuscum trahens liquidum et pellucidum maneat. Si Oleum cum Acido acetico diluto conquassaveris, filtratum aquosum Acido sulphydrico addito neve fuscum neve nigrum colorem efficiat.

Oleum Juniperi.

Juniperus communis *Linn.*

Oleum ope Aquae e fructibus destillatum. Sit coloris expers vel leviter flavescens, limpidum, valde liquidum, Spiritus *partibus decem* paulum turbide solvatur. Cum Carbonei Sulphido limpide possit misceri, pondus specificum sit 0.86–0.88.

Oleum Lavandulae.

Lavandula vera *D. C.*

Oleum e floribus destillatum. Sit liquor coloris paene expers vel flavescens vel e subviridi flavus, odoris suavis,

saporis amare aromatici. Cum *pari volumine* Spiritus limpide possit misceri. Pond. Spec. 0.87–0.90.

Oleum Limonis.

Citrus Limonum *Risso*.

Oleum aethereum, e corticibus fructum recentibus expressum. Sit valde liquidum, pallide flavum, non cum qualibet Spiritus copia limpide misceri possit. Iodo addito vehementer detonet. Pond. spec. 0.84–0.86.

Oleum Lini.

Linum usitatisssimum *Linn.*

Oleum pingue e seminibus frigide expressum. Sit limpidum siccescens, coloris flavi, odoris levis, peculiaris, saporis mitis, non rancidi, calore –15° liquidum. Cum *pari volumine* Acidi nitrici fumantis conquassatum etiam longiore tempore interjecto colorem magis saturatum trahens limpidum maneat. Pond. Spec. 0.935–0.940. Spiritus absoluti circiter *quinque partibus* solvatur.

○ Oleum Menthae.

Mentha arvensis *Linn.* var. **piperascens** *Holmes.*

Oleum ope Aquae destillatum et in frigore a partibus

solidis quam maxime liberatum.

Sit valde liquidum, magno autem spatio interjecto subcrassum fiat. Sit coloris expers aut subflavum, saporis initio urentis, postea refrigerantis; cum quavis portione Spiritus misceri possit. Pond. Spec. 0.90–0.91.

○ Oleum Olivae.

Olea europaea *Linn.*

Oleum pingue, e sarcocarpio frigide expressum. Sit coloris pallide flavi, odoris levis peculiaris, saporis mitis; non rancidi. Pond. Spec. 0.915–0.920. Calore circiter 10° turbari incipit, calore 0° in massam granulosam unguinosam rigescit.

Olei *partes quindecim* cum Aquae *partibus duabus* et Acidi nitrici fumantis *partibus tribus* inter se commixtis vehementer conquassatae mixturam praebeant albidam non rubram fuscamve, quae compluribus horis interjectis in massam solidam et liquorem vix coloratum discedat.

Si *unum gramma* huius Olei cum *uno grammate* Carbonei Sulphidi et *uno grammate* mixturae refrigeratae ex Acido sulphurico et Acido nitrico constantis per nonnullas minutas conquassaveris, deinde seposueris, stratum coloris viridio rubrive ne separetur.

○ Oleum Ricini.

Ricinus communis *Linn.*

Oleum e seminibus decorticatis expressum, pingue, lente liquidum, odoris levis et peculiaris. Sit coloris expers vel leviter subflavum, limpidum, calore 0° turbetur, frigore aucto in butyri spissitudinem transeat. Sapor primo mitis, postea subacer sit.

Cum *una* vel *tribus partibus* Spiritus solutionem limpidam praebeat; Acidi acetici glacialis aut Spiritus absoluti copia qualibet solubile sit. Pond. Spec. 0.95–0.97.

Si *3 grammata* huius Olei cum *3 grammatis* Carbonei Sulphidi et *2 grammatis* Acidi sulphurici per nonnullas minutas conquassaveris, mixtura ne colorem e nigro fuscum trahat.

Oleum Rosae.

Rosa moschata *Mill.* **Rosa damascena** *Mill.*
et aliae **Rosae** species.

Oleum aethereum, ope Aquae e floribus recentibus destillatum. Sit pallide subflavum, ponderis specifici 0.86–0.89, Spiritus *partibus* circiter *centum* solubile.

Oleum Rosmarini.

Rosmarinus officinalis *Linn.*

Oleum ope Aquae e planta recenti destillatum. Sit valde liquidum, coloris expers vel e subviridi flavum, odoris penetrantis et camphorae similis, saporis aromatici. Spiritus copia qualibet solubile sit, cum Carbonei Sulphidi parte qualibet limpide possit misceri. Pond. Spec. 0.88–0.900.

Oleum Sesami.

Sesamum indicum *D. C.*

Oleum pingue, e seminibus expressum. Sit coloris subflavi vel aurei, valde liquidum, calore −5° in massam e subflavo albam, unguinosam rigescens, odoris fere expers, saporis mitis. Pond. Spec. 0.915–0.925.

Si huius Olei *centimetra cubica decem* cum *tribus guttis* mixturae refrigeratae, ex Acidi sulphurici et Acidi nitrici *voluminibus aequalibus* constantis conquassaveris, color viridis appareat qui mox saturate ruber fiat. Cum *pari volumine* Acidi nitrici fumantis conquassatum colorem viridem vel rubrum trahens postremo in massam rutilam, solidam rigescat.

Oleum Sinapis aethereum.

Sit limpidum, valde liquidum, coloris expers vel subflavum, odoris vehementissime excitantis, Spiritus aut Carbonei Sulphidi copia qualibet solubile. Calore circiter 148° constanter ebulliat. Pond. Spec. 1.01–1.02.

Aquae instillatum in guttis limpidis et pellucidis, pessum eat, quae ne una quidem minuta interposita speciem albidam praebeant.

Solutio spirituosa (1 : 10) paulo Solutionis Ferri Perchloridi addito ne colorem trahat.

Caute servetur.

Oleum Terebinthinae.

Complures **Abiëtinarum** species, praecipue generis **Pini.**

Sit Oleum aethereum, ope Aquae destillatum, valde liquidum, coloris expers aut pallide subflavum ponderis specifici 0.85–0.87, Spiritus *partibus 5* vel *10* solubile, calore circiter 160° ebulliens.

Oleum odoris empyreumatici reiciendum est.

Oleum Terebinthinae rectificatum.

R.

Olei Terebinthinae *partem unam*.................. **1.**
Aquae Calcariae *partes sex* .... **6.**

Conquassatas destillationi expone, quoad Olei circiter *tres quartae partes* transierint, deinde destillatum oleosum abstrahe et ope chartae bibulae siccae filtra.

Sit prorsus neutrale, valde liquidum, coloris expers, Spiritus *partibus 5–10* plane solubile. Pond. Spec. 0.85 0.87 Calore circiter 160° ebulliat.

○ Opium.

Papaver somniferum *Linn.*

Sucus lacteus capsularum sponte siccatus, plerumque occurrens in placentis deplanatis vel fere globosis, ad *septingenti quinquaginta grammata* valentibus, in foliis Papaveris involutis et fructibus Rumicis conspersis. Primo molle est, exsiccatum durius et fragile, intus fuscum, per fracturam paulum nitens et granulis insigne, odoris narcotici, saporis acris et amari.

Centum partes maximum contineant *quadraginta partes* Aqua non solubiles.

Ad usum recipe pulverem ex Opio conciso et calore 60° non superante siccato paradum. Qui pulvis, si hac ratione examinaveris, ne minus quam *decem partes* Morphini pro *centum partibus* praebeat.

Opii pulverati *grammata octo* cum Aquae *grammatis octoginta* in vase clauso interdum conquassando per dimidium diem macera, deinde filtra. Filtrati *grammata 42.5* cum Spiritus *grammatis 12*, Aetheris *grammatis 10*,

Aquae Ammoniae *grammate 1* commixta in vase vitreo clauso, saepius conquassando per 12 horas calore circiter 15° sepone. Quo facto id, quod vase continetur, in filtrum diametro *80 mm* Calore 100° siccatum et pensum immitte. Liquore delapso crystalla, quae remanserint, mixtura e Spiritus diluti *grammatis 2*, Aquae *grammatis 2*, Aetheris *grammatis 2* constante bis eluta cum filtro calore 100° sicca. Pondus eorum ne sit minus *decigrammatis quattuor* (0.4 gr.).

Caute servetur.

Paraffinum.

Massa coloris expers, diaphana, microcrystallina, odoris expers, pond. spec. 0.91–0.93, calore circiter 75° in liquorem abiens limpidum, oleaceum, coloris expertem, Aqua aut Liquore Natri caustici aut Spiritu non solubilem, Chloroformo solubilem, qui cum Acido sulphurico per complures horas saepius conquassatus, si omnino, leviter tantummodo fuscetur.

Natrium metallicum cum Paraffino liquefacto per complures horas sepositum nitidum remaneat; Spiritus cum Paraffino coctus ne reactionem acidam traxerit.

In aëre ignitum deflagret neve residuum fixum relinquat.

Pepsinum saccharatum.

Principium digestivum succi stomachi, e membrana mucosa stomachi suilli aut bubuli paratum et cum Saccharo Lactis commixtum. Sit pulvis albus, reactionis leviter acidae, odoris saporisque levis neque insuavis neque ammoniacalis, Aqua non perfecte, sed si paulum Acidi hydrochlorici addideris, limpidius solubilis.

Si *0.25 gr.* in *150 gr.* Aquae et *2.5 gr.* Acidi hydrochlorici soluta cum *10 gr.* Albuminis cocti et in frusta lentis magnitudine insignia concisi calore 40° per 4–6 horas saepius fortiter agitans digesseris, solutio fiat leviter opalescens.

Phosphorus.

Frusta alba aut flavida, nitoris cerei, diaphana, plerumque in cylindris praestantia, in Aqua 44° subsidentia et liquescentia, in aëre odorem peculiarem spargentia et vapores albos eosque loco obscuro lucentes evaporantia. Diutius aëre expositus vel calefactus facile deflagrat. Aqua non, Spiritu vix, Aethere aut Oleis pinguibus melius, Carbonei Sulphido facile solviter. Saepius vestigia continet arseni aut sulphuris.

Cautissime in aquam immersum in lagoena epistomio vitreo clausa et vase ferreo circumdata servetur.

Physostigma.

Calabar.

Physostigma venenosum *Balfour.*

Semina oblonga, plane rotunda, leviter reniformia, odoris expertia, non supra *30 mm* longa *15 mm* lata, *10 mm* crassa. Testa seminis fusca, leviter nitens, granulosa, rugosa, dura duas cotyledones ovales, albidas includit; marginis alterum latus plus minusve incurvatum, alterum convexum et umbilico alte sulcato insigne est. Hic altero latere in parvam cristulam exit, per quam micropylam possis cognoscere. Sapor leviter fabae simillis est.

Caute servetur.

Physostigmini Salicylas.

Eserini Salicylas.

Crystalli coloris expertes vel leviter flavidi, Aquae *partibus 150* aut Spiritus *partibus 12* solubiles, luci expositi in statu sicco admodum lente, in solutione aquosa vel spirituosa celerius colorem rubrum trahentes.

In lamina platinea calefactus ne quid residui fixi relinquat.

Solutio aquosa Ferri Perchlorido addito colorem violaceum efficiat, Solutione Iodi turbetur.

Cautissime a luce tutus servetur.

○ Pilocarpini Hydrochloras.

Crystalli albi, hygroscopici, Aqua aut Spiritu facile, Aethere aut Chloroformo paulum solubiles. In lamina platinea calefacti liquescant neve residuum fixum relinquant.

Solutio aquosa diluta neve reactionem praebeat plus quam leviter acidam, neve ope Aquae Ammoniae praecipitetur; Argenti Nitrate aut Acido tannico aut Hydrargyri Perchlorido addito praecipitatum album praebeat; paulo Liquoris Kali caustici superfuso guttas excernat oleaceas, quae calore limpide solvantur et magis calefactae odorem spargant Trimethylamini.

Acido sulphurico sine colore solvatur.

Cautissime in vasis bene clausis servetur.

Pilulae Aloës.

R.

Aloës pulveratae

Saponis medicati, utriusque *partes aequales.*

Commixtas cum tanto Aquae contunde, ut massa pilularis idonea fiat, ex qua pilulae *unum decigramma* (*0.1 gr.*) graves formentur.

Pilulae Aloës et Ferri.

℞.

Ferri sulphatis *partes quinque* .... **5.**

in balneo aquae sicca, quoad jam nullam aquam perdat. Salem refrigeratum et cum

Aloës pulveratae *partibus tribus* .... **3.**

commixtum cum tanto Spiritus contunde, ut massa pilularis idonea fiat, ex qua pilulae *unum decigramma* (*0.1 gr.*) graves formentur.

Pilulae Colocynthidis et Hyoscyami.

℞.

Colocynthidis pulveratae *partes decem* .... **10.**

Aloës pulveratae *partes viginti* .... **20.**

Jalapae pulveratae *partes viginti* .... **20.**

Extracti Hyoscyami *partes viginti quinque* ... **25.**

Kalii Sulphatis *partes tres* .... **3.**

Olei Caryophylli *partem unam* .... **1.**

Mixtas cum tanto Spiritus contunde, ut massa pilularis idonea fiat, ex qua pilulae *quindecim centigrammata* (*0.15 gr.*) graves formentur.

Caute servetur.

Pilulae Ferri Iodidi.

R.

Ferri pulverati *partes viginti* .... **20.**

Aquae destillatae *partes sedecim* .... **16.**

In mortarium porcellaneum immissis

Iodi *partes quadraginta* .... **40.**

continuo agitans paulatim adde. Colore fusco prorsus deleto adde

Sacchari Lactis *partes viginti quattuor* .... **24.**

Extracti Glycyrrhizae venalis pulverati *partes quadraginta* .... **40.**

Glycyrrhizae pulveratae *partes quadraginta* ... **40.**

Bene commisce, deinde pilulas *duo decigrammata* (*0.2 gr.*) graves forma, Ferro pulverato consperge, cum paulo solutionis aethereae Balsami tolutani conquassa, quoad siccentur.

Singulae pilulae contineant circiter *quinque centigrammata* (*0.05 gr.*) Ferri Iodidi.

Caute servetur.

Pilulae Ferri Valleti.

R.

Ferri Sulphatis *partes quinquaginta* .... **50.**

Solve

Aquae ebullientis *partibus ducentis* .... **200.**

Solutionem filtra in lagoenam amplam, quae contineat

Natrii Bicarbonatis *partes triginta quinque*... **35.**

Aquae tepidae *partibus quingentis* .... **500.**

solutas. His solutionibus caute commixtis lagoenam Aqua fervida repletam et clausam sepone. Postquam liquorem limpide decanthaveris, lagoena iterum Aqua fervida repleatur. Has operationes repete, quoad liquor Baryi Nitrate jam vix turbetur. Praecipitatum a liquore quam maxime liberatum in patella porcellanea cum

Sacchari pulverati *partibus octo* .... **8.**

et

Mellis depurati *partibus viginti sex* .... **26.**

commisceatur; mixtura in balneo vaporis celeriter ad *pondus partium quadraginta* .... **40.**

evaporet.

In dispensando e *singulis grammatis* huius massae quam minimam copiam Pulveris Althaeae adhibens denas pilulas forma et Pulvere Cinnamomi involve.

Singulae pilulae contineant *0.025 gr.* Ferri.

Pilulae Hydrargyri.

R.

Hydrargyri *partes tres* .... **3.**

Sacchari *partes quinque* .... **5.**

Mellis depurati *partem unam* .... **1.**

Diligenter contere, quoad jam nulli Hydrargyri globuli

conspiciantur. Tum contunde cum

Glycyrrhizae in pulverem subtilem redactae *partibus duabus* .... 2.

tantum Aquae addens, ut massa pilularis fiat, ex qua pilulae *duo decigrammata* (*0.2 gr.*) graves formentur.

Singulae pilulae contineant fere *quinque centigrammata* (*0.05 gr.*) Hydrargyri.

Pilulae Rhei.

R.

Rhei in pulverem subtilem redacti *partes sex*... 6.

Saponis medicati *partes duas* .... 2.

Cum tanto Aquae contunde, ut massa pilularis fiat, ex qua pilulae *duo decigrammata* (*0.2 gr.*) graves formentur.

Pix liquida.

Pix crassa, oleosa, e nigro fusca, semidiaphana, sicca destillatione e ligno diversarum Abietinearum parata. Gravior est quam Aqua, odoris et saporis peculiariter empyreumatici.

Spiritu aut Aethere perfecte et limpide solvatur. Aqua calida cum Pice conquassata colorem vix flavescentem trahat, reactionem praebeat acidam, addita Ferri Perchloridi solutione diluto ad tempus colorem viridem trahat.

○ Plumbi Acetas.

Crystalli diaphani, coloris expertes aut massae crystallinae leviter acidum aceticum olentes, Aquae *partibus* circiter *duabus* nec non Spiritu solubilis.

Solutio aquosa Acido sulphurico diluto addito praecipitatum album, Kalii Iodido addito flavum praebeat. Solutio aquosa (1 : 10) aut limpida sit aut leviter opalescat, ita ut *una gutta* Acidi acetici addita limpida fiat; Kalii Ferrocyanido addito praecipitatum praebeat pure album, Acido sulphydrico saturata praecipitatum praebeat nigrum et filtratum, quod evaporatum nihil residui fixi relinquat.

Caute servetur.

Plumbi Carbonas.

Pulvis gravis, albus, odoris expers, in aëre persistens, in Aqua aut Spiritu nihil solubile amittens, Acido nitrico aut Acido acetico facile cum effervescentia solubilis.

Solutio Acido acetico effecta et Acido sulphydrico saturata praecipitatum praebeat nigrum et filtratum, quod evaporatum, si quid omnino, vestigia tantummodo residui fixi relinquat. Solutio Acido acetico effecta Kalii Ferrocyanido addito praecipitatum praebeat album.

Caute servetur.

Plumbi Oxydum.

Lithargyrum.

Pulvis aut lamellae, subflavae aut e rubro flavae, graves, odoris expertes; in aëre persistentes, crystallinae, calefactae colorem magis saturatum trahentes et liquescentes.

Aqua aut Spiritu non solubilis. Acido nitrico addito neve magnam copiam gasis evolvat, neve vapores rutilos exhalet, sed limpide vel prope limpide in liquorem coloris expertem solvatur, qui Aqua dilutus Acido sulphydrico addito praecipitatum praebeat nigrum.

Solutio Acido nitrico diluto effecta (1 : 10) et cum *dimidio volumine* Acidi sulphurici diluti commixta praecipitatum praebeat album et filtratum, quod Aqua Ammoniae supersaturatum et cum paulo Ammonii Carbonatis commixtum colorem subcaeruleum non trahat et parvam tantummodo copiam praecipitati subfusci praebeat.

Caute in vasis bene clausis servetur.

Podophyllinum.

Podophyllum peltatum *Linn.*

Resina e radicibus parata, e subviridi vel e subflavo vel e subfusco grisea, amorpha, saporis amari, in calore balnei aquae non liquescens.

Aqua non, Aethere partim, Spiritu calido vel Aqua Ammoniae facile et perfecte solvitur. Solutio spirituosa

ope Aquae, solutio ammoniacalis ope acidi praecipitetur.

Cum Aqua conquassatum colorem, si ullum omnino, levem tantummodo efficiat, deflagrans ne plus quam *duas partes* cineris pro *centum partibus* relinquat.

Caute servetur.

Pulvis aërophorus.

R.

Natrii Bicarbonatis *partes decem* .... **10.**

Acidi tartarici *partes novem*......................... **9.**

Sacchari *partes undeviginti* .... **19.**

Separatim in pulverem subtilem redactas et calore modico perfecte siccatas diligenter commisce.

Sit pulvis siccus, qui in Aquam immissus fortiter effervescens solvatur.

In vase bene clauso non nimis diu servetur.

Pulvis aërophorus anglicus.

R.

Natrii Bicarbonatis pulverati *grammata duo*... **2.**

Acidi tartarici pulverati *gramma unum et dimidium* .... **1.5.**

Singulos pulveres in capsis separatis, Natrii Bicarbonatem in coloratis, Acidum tartaricum in albis dispensa.

Pulvis antacidus.

℞.

Calcii Carbonatis praecipitati *partes duas*..... 2.

Magnesii Carbonatis *partem unam* .... 1.

In pulverem subtilem redactae diligenter misceantur.

Pulvis aromaticus.

℞.

Cinnamomi pulverati

Cardamomi pulverati

Zingiberis pulverati singulorum *partes aequales.*

Exacte misce.

○ Pulvis Doveri.

Pulvis Ipecacuanhae et Opii.

℞.

Opii pulverati *partem unam* .... 1.

Ipecacuanhae pulveratae *partem unam* .... 1.

Sacchari Lactis pulverati *partes octo*........... 8.

Exactissime misceantur.

Decem partes huius pulveris contineant *unam partem* Pulveris Opii.

In vasis bene clausis **Caute** servetur.

Pulvis gummosus.

R.

Gummi arabici pulverati *partes duas* .... 2.

Tragacanthae pulveratae *partem unam* .... 1.

Sacchari pulverati *partes duas* .... 2.

Exacte misce.

Pulvis Magnesiae et Rhei.

Pulvis Infantum.

R.

Magnesii Carbonatis *partes sex* .... 6.

Rhei pulverati *partes duas* .... 2.

Elaeosacchari Foeniculi *partes quattuor* .... 4.

Exacte misce.

In vase bene clauso servetur.

Quassia.

Quassia amara *Linn.* et **Picraena excelsa** *Lindl.*

Aut cylindri lignei, albidi, leves, non supra *8 cm* crassi, in sectione transversa circulos tenues, concentricos radiosque medullares tenues, paulum flexuosos praebentes, saepe etiam cortice fragili, ex albido griseo, laxe circumdati aut trunci majores, ad *3 decimetra* crassi, coloris paulo

magis flavescentis in sectione transversa circulos concentricos radiosque medullares latiores praebentes, cortice ad *10 mm* crasso, e nigro fusco, fracturae fibratae insignes.

Lignum facile potest findi, saporis est puri et constanter amari.

Resina Guajaci.

Guajacum officinale *Linn.*

Resinae frusta subviridia vel e rubro fusca, calefacta liquescentia et odorem aromaticum spargentia, fractura vitrea, in ramentis tenuibus diaphana et pulverem in aëre viridescentem praebentia.

Liquore Kali caustici et Spiritu solubilis sit, exceptis paucis corticis lignive fragmentis. Solutio spirituosa Aqua addita turbationem albidam, lacteam praebeat et Ferri Perchlorido addito colorem caeruleum trahat.

○ Resina Jalapae.

R.

Jalapae crasse pulveratae *partem unam* .... 1.

Spiritus *partes quattuor* .... 4.

Per 24 horas saepius agitans digere et refrigeratas exprime. Residuum iterum superfunde

Spiritus *partibus duabus* .... 2.

et fac sicut antea. Jam postquam de his extractis mixtis et filtratis, Spiritum destillando removeris, resinam, quae restiterit, Aqua calida saepius elue, quoad haec colorem trahere desinat; tum in balneo vaporis agitans adeo sicca, ut refrigerata conteri possit.

Sit fusca, fragilis, Aqua vel Carbonei Sulphido non solubilis, Spiritu perfecte et facile, Chloroformo levissime tantummodo solubilis. In cucurbita clausa cum *10 partibus* Aquae Ammoniae digesta solvatur. Haec solutio neve refrigerando in gelatinam redigatur neve Acido hydrochlorico diluto supersaturata plusquam leviter praecipitetur.

Caute servetur.

Resina Pini.

Pinus densiflora *Sieb. et Zucc.* **Pinus Thunbergii** *Parlat.*

Resina clare flava et opaca vel clare fusca et diaphana, fragilis, pond. spec. 1.07–1.08, Spiritu sive perfecte sive praeter parvum residuum limpide solubilis.

Rhamnus.

Rhamnus Frangula *Linn.*

Cortex truncorum juniorum aut ramorum validiorum convolutus, *1–2 millimetra* crassus, extrinsecus griseus vel

fuscus et verrusis suberosis, albis, transverse perrectis obsitus, intus levigatus et e fusco ruber. Stratum suberosum, tenuissimum, intus coccineum desquamando facile solvitur. Fractura longitudinalis fibris citrinis insignis est. Sapor paulum subdulcis, amarus, mucilagineus est.

Cortex Aqua infusus Ferri Perchlorido sine turbatione colorem saturate fuscum trahat.

○ Rheum.

Rheum officinale *Baill.* et aliae **Rhei** species in Asiae partibus altioribus crescentes.

Radicis decorticati frusta, dura, diversae formae, fracturae asperae, granulosae, non fibrosae, extrinsecus flava et plerumque pulvere conspersa, intus variegata radiis medullaribus, e fusco rubris, qui prope superficiem globulos radiatos diametro circiter *10 mm* efficiunt, et in margine radialiter, in reliquis partibus irregulariter per telam principalem clariorem dispositi sunt.

Odor et sapor peculiaris est. Pulverem praebet coloris clari, e subfusco flavi.

○ Saccharum.

Saccharum albissimum, siccum, odoris plane expers, crystallinum. *Dimidia parte* Aquae in syrupum solvatur limpidum, coloris expertem, neutralem, saporis pure dulcis,

qui cum qualibet copia Spiritus limpide possit misceri.

Solutio aquosa (1 : 10) neve Ammonii Oxalate aut Argenti Baryive Nitrate turbetur neve Acido sulphydrico mutetur.

○ Saccharum Lactis.

Crystalli albidi, in cylindros crustasve concrescentes aut pulvis pure albus lactis sacchari. Sit odoris expers, subdulcis, *pari copia* Aquae ebullientis aut *sex septemve partibus* Aquae frigidae lente sed perfecte, Spiritu non solubile.

Solutio aquosa sit coloris expers et neutralis; Argenti aut Baryi Nitrate addito si omnino leviter tantummodo turbetur. Si Sacchari Lactis *partem unam* in patina plana super *quinque partes* Acidi sulphurici sparseris, ne intra unam horam color fuscus nigerve appareat.

Sal Carolinum facticium.

R.

Natrii Sulphatem,

crasse contritus et e pulvere tutus calori 35° non superanti exponatur, quoad perfecte effatiscat, deinde calore circiter 50° ad *dimidiam partem ponderis* siccetur, postremo per cribrum transmittatur.

Huius **Pulveris** *partes duodequinquaginta* ...... 48.
misce cum

Kalii Sulphatis pulverati *partibus duabus* ..... 2.
et

Natrii Chloridi pulverati *partibus viginti* .... 20.
et

Natrii Bicarbonatis pulverati *partibus triginta* .... 30.

Sit pulvis albus, siccus, cum acidis fortiter effervescens, in Aqua solubilis.

Sex grammata uno litro Aquae destillatae soluta Aquae Carolinae naturali respondent.

Salep.

Variae **Orchidis** species et aliae **Ophrydeae.**

Tubera globosa vel piriformia, rarius palmatim partita ad manus instar divisa. Tuberum anthesis tempore vel paulo post anthesin effosorum ea, quae caulibus munita sunt, amoveantur, reliqua in Aquam ebullientem immersa terantur et siccentur.

Sunt cornea, durissima, gravia, superficie plerumque paulum aspera, clare e subfusco grisea vel subflava; in vertice stigma gemmae caulinae praebent.

Una pars, pulveris cum *100 partibus* Aquae ebullientis quoad refrigeretur, conquassata mucilaginem praebeat

saporis insipidi, quae intra complures horas sedimentum floccosum non demittat.

Salicinum.

Crystalli coloris expertes aut albi, nitidi, in aëre persistentes, odoris expertes, saporis amari, reactionis neutrius, Aquae *partibus duodetriginta* aut Spiritus *partibus triginta* solubiles, Chloroformo aut Aethere vix solubiles.

Calore circiter 198° in liquorem coloris expertem mutetur, calore maiore carbonescat, postremo deflagret neve quicquam residui fixi relinquat.

Acido sulphurico solvatur colorem rubrum trahens; haec solutio ope Aquae diluta colorem amittat et materiam coloris saturate rubri excernat.

Solutio aquosa neve Acido tannico aut Kalii et Hydrargyri Iodido praecipitetur neve Ferri Perchlorido violacea tingatur.

Una pars Salicini cum *pari parte* Kalii Dichromatis commixta et cum *decem partibus* Acidi sulphurici diluti calefacta destillatum praebeat, quod odorem salicylaldehydi spargat et Ferri Perchlorido addito colorem violaceum efficiat.

Salvia.

Salvia officinalis *Linn.*

Folia petiolata, subcrassa, oblonga, dense crenata, interdum auriculata superficies reticulo venarum, minutis maculis implicato et tomento pilorum griseorum insignis est. Odor peculiaris, aromaticus, sapor simul subamarus et adstringens est.

Sambucus.

Sambucus nigra *Linn.*

Flores corymborum quinqueradiatorum, Calyce quinquedentato, Corolla quinquelobata et quinque staminibus praediti. Corollae siccatae valde corrugatae sunt, coloris flavi, odoris levis, peculiaris, saporis levis.

Merx fusca reicienda est.

Santalum.

Pterocarpus santalinus *Linn.*

Fragmenta lignea, dura, admodum densa, odoris et saporis fere expertia, coloris saturate e rubro fusci, quae in aquam immersa pessum eant neque colorem rubrum efficiant, in Spiritu autem pigmentum rubrum resinosum remittant.

○ Santoninum.

Lamellae crystallinae, coloris et odoris expertes, nitidae, in luce flavescentes, saporis amari, neutrales, Aqua frigida vix, fervida melius, Spiritus circiter *40 partibus*, Chloroformi *4 partibus* necnon Liquoribus Alkalinis causticis aut Liquore Calcis solubiles.

Calore circiter 170° liquescat, calore aucto partim avolet, partim carbonescat et in aëre deflagret neve quicquam residui fixi relinquat.

Cum Solutione Kali caustici spirituosa (1 : 10) colorem coccineum efficiat.

Acido nitrico aut sulphurico ne statim coloretur. Si Santoninum pulveratum cum Aqua et paulo Acidi sulphurici diluti conquassaveris, filtratum Aqua dilutum paulo Solutionis Kalii et Hydrargyri Iodidi addito ne turbetur.

Caute a luce tutum servetur.

Sapo jalapinus.

R.

Resinae Jalapae *partes quaternas* .... 4.

et

Saponis medicati *partes quaternas* .... 4.

Superfunde

Spiritus diluti *partes octo* .... 8.

Solve et in balneo aquae continuo agitans evapora ad *partes novem.*

Cum *20 partibus* Aquae solutionem praebeat fere limpidam, ex qua resina non excernatur.

Sit coloris e flavo fusci et Spiritu solubilis.

Caute servetur.

Sapo kalinus.

R.

Liquoris Kali caustici (pond. spec. 1.14) *partes centum triginta quinque* .... **135.**

In balneo aquae calefac et agitans paulatim adde

Olei Lini *partes centum* .... **100.**

mixturae per dimidiam horam calefactae

Spiritus *partes viginti quinque*.......................... **25.**

et, cum primum massa aequabilis facta erit,

Aquae *partes ducentas* .... **200.**

adde. Calefacere perge, quoad saponis gelatina pellucida facta sit, cuius exemplum in Aqua fervida Oleum non excernens solvatur. Tum in balneo aquae agitans evapora, quoad Spiritus avolaverit et residuum valeat *partes centum et quinquaginta*.......................... **150.**

Sit massa pellucida, e subfusco flavo, mollis lubrica, odoris levis, non ingrati, libera ab admixtionibus granulosis, Aqua aut Spiritu solubilis.

○ Sapo medicatus.

R.

Liquoris Natri caustici (pond. spec. 1.16) *partes centum viginti* .... **120.**

In balneo aquae calefac et paulatim adde mixturam liquefactam, constantem ex

Adipis *partibus quinquaginta*...................... **50.**

et

Olei Olivae *partibus quinquaginta* .... **50.**

Per dimidiam horam calefac, deinde

Spiritus *partes duodecim* .... **12.**

et

cum primum massa aequabilis facta sit, paulatim

Aquae *partes ducentas* .... **200.**

adde. Tum mixturam, si opus est, parvas portiones Liquoris Natri caustici addens calefac, quoad Saponis gelatina pellucida facta sit, cuius exemplum in Aqua fervida adipem non excernens solvatur. Tum adde solutionem filtratam

Natri Chloridi *partium viginti quinque*......... **25.**

et

Natri Carbonatis *partium trium* .... **3.**

Aquae *partibus octoginta* .... **80.**

effectam.

Agitans calefac, quoad omnis Sapo separatus sit. Tum hunc liquore alkalino remoto identidem parva copia Aquae elutum caute, sed fortiter exprime. Massam in frusta

dissectam loco calido sicca.

Sit albus, non rancidus, Aqua aut Spiritu limpide vel propemodum limpide solubilis. Haec solutiones neve Acido sulphydrico mutentur neve Hydrargyri Perchlorido addito praecipitatum coloratum praebeant.

In vasis bene clausis servetur.

Sarsaparilla.

Smilax medica *Schlecht.* et aliae **Smilacis** species Americae centralis.

Radices longissimae, ad *quinque* circiter *millimetra* plerumque simplicis crassae. Extrinsecus striatae vel leviter sulcatae, coloris grisei vel e rubro fusci sunt. In sectione transversa medullam albidam, farinosam praebent, quae orbi cellularum endodermidis a cortice medio, albo vel subfusco sejungitur et intra quam prope illum orbem multi fasciculi vasorum inveniuntur. Sapor mucilagineus, postea radens est.

Sassafras.

Sassafras officinalis *Nees.*

Radicis lignum dissectum sive adhaerente sive ablato cortice griseo, intus e rubro fusco. Lignum est subfuscum vel pallide rutilum, leve, subspongiosum, facile potest

findi. In sectione transversa circulos praebet annulos *2* vel *4 mm* latos et multos radios medullares, tenuissimos, condensos. Odor peculiaris, aromaticus foeniculo similis, sapor simul subdulcis est.

Trunci lignum omni fere aromate carens reiciendum est.

Scilla.

Scilla maritima *Linn.*

Scillae tunicae mediae, in strias dissectae circiter *tria millimetra* crassas et *quinque centimetra* longas. Siccatae sunt corneae, diaphanae, e subflavo albae, saporis mucilaginei, acris, amari.

In vasis bene clausis servetur.

Senega.

Polygala Senega *Linn.*

Radicis caput crebris caulium fragmentis et rutilis foliorum squamis praeditum, tuberosum cum radice saepe in complures ramulos simplices divisa. Radix in superiore parte annulata, non supra *15 mm* crassa est. Axis carina edita circumdari solet, ex adverso latere saepe tori surgunt rimis transversis separati. In sectura transversa intra corticem circiter *1 mm* crassum, e caeruleo subfuscum cylindrus ligneus, pallide flavus, medulla carens, sive

scissus sive plus minusve excavatus apparet.

Sapor mucilagineus, postea acer et radens, odor levis et peculiaris est.

○ Senna.

Cassia acutifolia *Delile.* **Cassia angustifolia** *Vahl.*

A. **Senna Alexandrina.** Pinnae, acute ovatae, in basi inaequales, *1* vel *3 cm* longae, *6* vel *12 mm* latae, pilis plus minusve subtilibus et nervis pinnatis praeditae, coloris e griseo subviridis.

Neve foliolis **Cynanchi Arghil** crassioribus, in basi aequalibus, colore magis grisco et pilis mollioribus, insignibus, gibbosis neve caulibus leguminibusve nimis sint commixtae.

B. **Senna Tinnevelly.** Pinnae prioribus similes, sed forma oblongiore insignes, non supra *6 cm* longae et *2 cm* latae.

○ Sinapis.

Sinapis ceraua *Thunb.*

Semina fere globosa, diametro non supra *1.5 mm*, flava vel grisea vel e rubro fusca. Ope lentis contemplanti testa delicatissime foveata apparet, hilus albus et radiculae situs cognosci potest.

Contusa pulverem flavum praebeant, qui Aqua irrigatus acrem olei sinapis aetherei odorem spargat et cum *50 partibus* Aquae fervefactus, deinde refrigeratus filtratum praebeat, quod Solutione Iodi addita colorem caeruleum non trahat.

O. Spiritus.

Liquor limpidus, coloris expers, perfecte volatilis, incensus flamma leviter subcaerulea deflagrans, odoris pure spirituosi, saporis urentis; cum Aquae parte qualibet in liquorem limpidum, reactionis neutrius misceri possit.

Pond. spec. sit 0.830–0.834, id quod *partibus* fere *86* Spiritus absoluti in *centum ponderis partibus* respondet.

Cum *pari volumine* Acidi sulphurici sive Liquoris Kali caustici commixtus ne intra breve spatium coloretur.

Si *50 gr.* Spiritus cum *10 guttis* Liquoris Kali caustici calore modico in balneo aquae ad *grammata* circiter *quinque* evaporaveris hoc residuum Acido sulphurico diluto supersaturatum ne odorem fermentolei spargat.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Aetheris.

Liquor Hoffmanni.

R.

Aetheris *partem unam* .... 1.
Spiritus *partes tres* .... 3.

Misce.

Sit liquor limpidus, coloris expers, reactionis neutrius, perfecte volatilis, pond. spec. 0.81. Cum *pari volumine* Solutionis Kalii Acetatis conquassatus *dimidiam partem voluminis* sive ut stratum aetherem excernat.

Loco frigido in vasis bene clausis servetur.

○ Spiritus Aethyl Nitritis.

Spiritus Aetheris nitrosi.

Solutio spirituosa partium facillime ebullientium eius liquoris, quem Spiritus Acido nitrico affectus praebuerit. Sit liquor limpidus, coloris expers vel leviter flavescens, pond. spec. 0.840–0.850, odoris suaviter subdulcis, aetherei, qui cum *pari volumine* Chloroformi limpide possit misceri et in calore balnei aquae plane avolet. Charta exploratoria adhibita reactionem sive neutram, sive leviter acidam exhibeat neve crystallo Kalii Bicarbonatis addito effervescat.

Cum *dimidio volumine* Liquoris Kali caustici commixtus colorem trahat flavum, qui intra 24 horas non saturate

fuscus fiat. Neve cum Argenti Nitratis solutione calefactus praecipitatum aut reductionem neve cum Acido sulphydrico turbationem aut praecipitatum coloratum efficiat.

Solutione Ferri Sulphatis aut Kalii Iodidi decompositus tantum Nitrogenii Oxydi praebeat quantum *2–3 partibus* Aethyl Nitritis ($C_2H_5NO_2$) pro *centum partibus* respondet.

In lagoenis, quas epistomiis vitreis bene claudas, serva.

Spiritus Ammoniae aromaticus.

R.

Ammonii Carbonatis *partes quadraginta*...... **40.**
Aquae Ammoniae *partes centum*.............. **100.**
Olei Limonis *partes octo* .... **8.**
Olei Caryophylli *partem unam* .... **1.**
Olei Lavandulae *partem unam*...................... **1.**
Spiritus *partes sexcentas et quinquaginta*....... **650.**
Aquae destillatae *partes ducentas* .... **200.**

Ammonii Carbonatem Aquam Ammoniae addens Aqua destillata et Olea aetherea Spiritu solve, deinde hos duos liquores misce.

Sit liquor limpidus, leviter flavescens, odoris aromatici, ammoniacalis, pond. spec. prope 0.90.

10 cm^3 requirant *10* ad *11* cm^3 Liquoris alkalimetrici normalis, ut fiat liquor lacti similis, neutralis, odorem suavem oleorum aethereorum spargens, id quod *partibus*

fere *duabus* Ammoniae pro *centum partibus* respondet.

In lagoenis, quas epistomiis vitreis bene claudas, serva.

Spiritus Ammoniae foeniculatus.

R.

Olei Foeniculi *partes tres* .... **3.**

Solve

Spiritus *partibus octoginta* .... **80.**

Admisce

Aquae Ammoniae *partes septendecim* .... **17.**

Sit liquor limpidus, coloris fere expers, pond. spec. prope 0.85.

10 gr. requirant *10* cm^3 Liquoris alkalimetrici normalis, ut fiat liquor lacti similis, neutralis odorem suavem Olei Foeniculi spargens, id quod *partibus 1.7* Ammoniae pro *centum partibus* respondet.

In lagoenis, quas epistomiis vitreis bene claudas, serva.

Spiritus aromaticus.

R.

Caryophylli *partes quindecim*........................ **15.**
Cinnamomi *partes quindecim* .... **15.**
Myristicae *partes triginta* .... **30.**
Cardamomi *partes triginta*.......................... **30.**

His contusis et in vas destillatorium immissis superfunde

Spiritus *partes octingentas* .... 800.

Olei Limonis *partem unam* .... 1.

Olei Menthae *partes duas* .... 2.

Aquae *partes mille et ducentas* .... 1200.

Jam destillata, quoad circiter *mille partes* pond. spec. prope 0.90 transierint.

Sit liquor limpidus, odoris saporisque aromatici.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Camphorae.

℞.

Camphorae *partes decem* .... 10.

Solve

Spiritus diluti *partibus nonaginta* .... 90.

Sit liquor limpidus, coloris expers, pond. spec. prope 0.907.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Chloroformi.

℞.

Chloroformi *partes decem* .... 10.

Spiritus *partes nonaginta* .... 90.

Misce.

Sit liquor limpidus, coloris expers, pond. spec. prope 0.872.

Caute in vasis bene clausis servetur.

Spiritus Cinnamomi.

℞.

Olei Cinnamomi *partes quinque* .... **5.**

Spiritus *partes nonaginta quinque* .... **95.**

Misce.

Sit liquor limpidus, pond. spec. prope 0.845.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus dilutus.

℞.

Spiritus *partes septem*................................ **7.**

Aquae destillatae *partes tres* .... **3.**

Misce.

Sit limpidus, coloris expers, pond. spec. 0.892–0.896, id quod Spiritus *partibus* circiter *60* pro *centum ponderis partibus* respondet.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Foeniculi.

R.

Olei Foeniculi *partes decem*........................ **10.**

Spiritus *partes nonaginta*............................ **90.**

Misce.

Sit liquor limpidus, coloris expers, pond. spec. prope 0.845.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Juniperi.

R.

Olei Juniperi *partes tres*................................**3.**

Spiritus *partes nonaginta septem*.................. **97.**

Misce.

Sit liquor limpidus, coloris expers, pond. spec. prope 0.835.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Lavandulae.

R.

Olei Lavandulae *partes tres*...........................**3.**

Spiritus *partes nonaginta septem*.................. **97.**

Misce.

Sit liquor limpidus, coloris expers, pond. spec. prope 0.837.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Limonis.

R.

Olei Limonis *partes decem* .... **10.**
Spiritur *partes nonaginta*.......................... **90.**

Misce.

Sit liquor limidus, pond. spec. prope 0.835.

In vasis bene clausis servetur.

Spiritus Menthae.

R.

Olei Menthae *partes decem*.......................... **10.**
Spiritus *partes nonaginta*.......................... **90.**

Misce.

Sit liquor limpidus, coloris expers, pond. spec. prope 0.842.

In vasis bene clausis servetur.

○ Spongia.

Spongia officinalis *Linn.* **Achilleum lacinulatum** *Schweigg.*

Spongias marinas, venales, foraminibus subtilibus praeditas, molles, ad materias alienas removendas pulsa, deinde ope Aquae, cui pro *decem ponderis partibus unam partem*

Acidi hydrochlorici addideris, per complures dies macera, tum Aqua diligenter et perfecte elue et siccatas serva.

Spongia compressa.

R.

Spongias depuratas,
ope Aquae mollitas manu fortiter exprime et in Mucilagine Gummi arabici immersas, deinde iterum expressas filo lineo ita circumvolve, ut densis flexionibus fortiter comprimas. Eius modi frusta oblonga adhibeas, ex quibus cylindros digiti fere crassitudine pares.

Sicca et filo circumvolutas serva.

○ Stibii et Kalii Tartras.

Tartarus emeticus.

Crystalli parvi, diaphani, paulatim fatiscentes aut pulvis albus, crystallinus. Aquae frigidae *partibus 17* aut ebullientis *partibus 3* solubilis sit. In calore carbonescat sacchari incensi odorem spargens et residuum nigrum reactionis alkalinae relinquens.

Solutio aquosa reactionem acidulam praebeat neve Ammonii Sulphido excedente praecipitetur.

Solutio aquosa cum paulo Acidi tartarici commixta neve Baryi aut Argenti Nitrate aut Ammonii Oxalate turbetur

neve Kalii Ferrocyanido caerulea tingatur.

Si *unum gramma* Salis pulverati in *10 cm³* Acidi hydrochlorici solutum cum *5 guttis* Aquae hydrosulphuratae commiscueris, post duas horas neve praecipitatum neve color flavus appareat.

Si *unum gramma* huius salis, Aquae *grammatis 100* paulum Acidi tartarici addens, solveris et solutionem Acido sulphydrico saturaveris, praecipitatum fiat ex aurantiaco rubrum, quod elutum et siccatum, deinde Carbonei Sulphido puro elutum et iterum siccatum calore 100° *gr. 0.50–0.52* valeat.

Caute servetur.

Stibii Oxydum.

Pulvis albus vel e griseo albus, gravis, Aqua Spiritu ve non solubilis, odoris et saporis expers, ardore rubro facile liquescens, refrigerando in crystallos concrescens.

Liquore Kali caustici aut Acido hydrochlorico aut Acidi tartarici solutione in calore facile et perfecte solvatur. Solutio Acido tartarico excedente effecta, deinde diluta neve Argenti aut Baryi Nitrate turbetur neve Kalii Ferrocyanido praecipitetur, Acido autem sulphydrico praecipitur colorem ex aurantiaco rubrum proferens.

0.5 gr. in *10 cm³* Acidi hydrochlorici soluta *5 gutti* Aquae hydrosulphuratae additis intra duas horas neve praecipitatum neve colorem flavum praebeant. Solutio

Liquore Kali caustici effecta Ammonii Sulphido ne mutetur.

Caute servetur.

○ Stibii Sulphidum aurantiacum.

Sulphur auratum Antimonii.

Pulvis subtilis, coloris aurantiaci, oderis et saporis expers, Aqua Spirituve non solubilis, qui in tubulo vitreo calefactus cum Sulphuris sublimatione colorem nigrum trahat.

In Acido hydrochlorico calefactum solvatur, Acidum sulphydricum exhalans et parvam copiam Sulphuris relinquens; item in *200 partibus* Aquae Ammoniae calefactum minimum residui relinquat. Liquore Kali caustici aut Ammonii Sulphido facile et perfecte vel propemodum perfecte solvatur.

Si *1 gr.* Liquore Kali caustici solutum Acido hydrochlorico diluto acidulaveris et praecipitatum ita paratum identidem Aqua elutum, nondum siccum cum solutione *1 gr.* Ammonii Carbonatis ope *20* cm^3 Aquae effecta conquessaveris, deinde statim filtaveris, filtratum Acido hydrochlorico acidulatum ne praecipitatum coloremve flavum efficiat, etiamsi paulum Aquae hydrosulphuratae addideris.

Cum *20 partibus* Aquae conquassatum filtratum praebeat quod neque Argenti Nitrate neque Ammonii Oxalate

mutetur, Baryi autem Nitrate paulum modo turbetur.

Caute a luce tutum servetur.

Strychni Semen.

Nux vomica.

Strychnos Nux vomica *Linn.*

Semina orbiculata, disciformia, saepe recurvate, circum centrum umbiculata, diametro summum *25 mm* aequantia, ad *5 mm* crassa. Superficies pilis e griseo subflavis, nitoris sericei, a medio ad circuitum vergentibus, adhaerentibus consita est.

Semen Aqua mollitum secundum lineam marginalem, saepe subacutam in partes geminas albuminis cornei, amylo carentis dividi possit. Semina odoris expertia, saporis peramari sunt.

Caute servetur.

Strychnini Nitras.

Crystalli aciculares, coloris expertes, neutrales, Aquae frigidae *partibus 90* aut ebullientis *partibus 3* aut Spiritus frigidi *partibus 70* solubiles, Aethere non solubiles. Solutio aquosa valde diluta saporis peramari est. In lamina platinea calefactus carbonescat et deflagret neve quicquam cineris relinquat.

Solutio Acido sulphurico effecta Solutione Ferri Sulphatis addita colorem fuscum trahat. Solutio aquosa, saturata cum Solutione Kalii Dichromatis praecipitatum praebeat crystallorum e rubro flavorum, qui a solutione liberati cum Acido sulphurico colorem intense e caeruleo violaceum efficiant. Cum Acido nitrico contritus ne rubrum colorem trahat, flavum autem trahere licet.

Solutio aquosa paulo Acidi nitrici diluti acidulata Baryi aut Argenti Nitrate ne turbetur.

Cautissime servetur.

○ Styrax liquidus.

Liquidambar orientalis *Mill.*

Balsamum coquendo e cortice interiore paratum. Sit massa tenax, crasse liquida, odorata, in stratis tenuibus diaphana, intus grisea, in superficie magis fuscescens, saporis radentis et aromatici, quae in Aquam immersa pessum eat.

Pari pondere Spiritus calidi praeter exiguas plantarum reliquias aliasve quisquilias fortuitas solvatur in liquorem coloris saturate fusci et reactionis acidae. Si refrigeratione peracta filtraveris et filtratum evaporaveris, residuum remaneat fuscum, semiliquidum, quod pro *centum* Balsami *partibus* minimum *70 partes* valeat et Aethere aut Carbonci Sulphido prope perfecte solvatur, Petrolei Aethere non solvatur.

Sulphur depuratum.

℞.

Pulveris Sulphuris sublimati, per cribrum transmissi *partes centum* .... **100.**

cum

Aquae destillatae *partibus septuaginta*......... **70.**

et

Aquae Ammoniae *partibus decem*............... **10.**

antea commixtis in massam pultiformen redige et per triduum saepius agitans sepone, tum adde

Aquae destillatae *partes centum*............... **100.**

Filtra et ope Aquae destillatae perfecte elue. Calore modico sicca et per cribrum transmitte.

Sit pulvis subtilis, flavus, siccus, odoris et saporis expers, qui calefactus liquescat et in aëre deflagret flamman caeruleum exhibens et odorem acidi sulphurosi spargens, neque plus quam parvam copiam residui fixi relinquens, Aqua aut Spiritu non solvitur, Liquore Natri caustici ebulliente solvitur.

Aqua humectatum ne Chartam exploratoriam caeruleam rubefaciat, cum *20 partibus* Aquae Ammoniae digestum filtratum praebeat, quod Acido hydrochlorico acidulatum, etiamsi Acidum sulphydricum addideris, neque praecipitatum neque colorem flavum exhiheat.

Sulphur praecipitatum.

Pulvis subtilissimus, e subflavo albus, siccus, amorphus, odoris et saporis expers, qui in aëre calefactus flamma caerulea deflagret odorem acidi sulphurosi spargens neque plus quam vestigia residui fixi relinquens. Ceterum ad reagentia se habeat, sicut sub Sulphure depurato dictum est.

○ Sulphur sublimatum.

Pulvis subtilis, ad citrei instar flavus, qui in aëre calefactus liquescat et flamma caerulea deflagret odorem acidi sulphurosi spargens neque plus quam vestigia residui fixi relinquens. Liquore Natri caustici ebulliente solvatur, Aqua aut Spiritu solvi nequeat.

Aqua humectatum Chartam exploratoriam caeruleam, si omnino, leviter tantummodo rubefaciat.

Syrupus Althaeae.

R.

Radicis Althaeae concisae *partes tres* .... **3.**

Aqua elue et superfunde

Aquae frigidae *partes quadraginta*............... **40.**

Per 12 horas macera, deinde non exprimens per pannum laneum cola. Colaturae *partibus triginta*............... **30.**

solve

Sacchari *partes quadraginta*........................40.

Sit Syrupus mucilagineus, limpidus, leviter flavescens.

Syrupus Aurantii Corticis.

℞.

Syrupi simplicis *partes octoginta quinque*...... 85.

Tincturae Aurantii *partes quindecim*............ 15.

Misce.

Sit Syrupus limpidus, coloris e subflavo fusci, odoris suavis, aromatici.

Syrupus Aurantii Florum.

℞.

Sacchari *partes novem*................................9.

Sine calore agitans solve

Aquae Aurantii Florum *partibus quinque*...... 5.

Sit Syrupus limpidus, suaviter Aurantii Flores redolens.

○ Syrupus Ferri Iodidi.

℞.

Iodi *partes octo*.. 8.

Aquae destillatae *partes quadraginta* .... 40.

In cucurbitam emissis paulatim adde

Ferri pulverati *partes tres*.......................... **3.**

Modice calefac vas leviter agitans, quoad liquor colorem subviridem traxerit. Tum liquorem calidum per filtrum parvum immitte in patellam, quae contineat

Sacchari *partes centum viginti quinque*......... **125.**

Filtrum cum ferro non soluto elue

Aquae destillatae *partibus tribus*.................. **3.**

jam adde

Aquae destillatae *partes circiter viginti*......... **20.**

et mixturam balneo vaporis calefac, quoad restent

Syrupi Ferri Iodidi *partes centum nonaginta quinque*... **195.**

Sit liquor limpidus, coloris prope expers vel leviter viridescens vel flavescens.

Viginti grammata huius Syrupi *duplici copia* Aquae destillatae diluta requirant *centimetra cubica sedecim et deciman partem* Liquoris Hydrargyri Perchloridi volumetrici, ut praecipitatum constans fieri incipiat, id quod *quinque partibus* Ferri Iodidi pro *centum partibus* respondet.

In vasis parvis, e vitro albo constantibus, optime clausis, frustum fili ferri, puri continentibus loco radiis solis exposito servetur.

Syrupus Ipecacuanhae.

R.

Tincturae Ipecacuanhae *partem unam* .... 1.

Syrupi simplicis *partes novem* .... 9.

Misce.

Sit liquor limpidus, subflavus.

Centum partes respondeant *uni parti* Ipecacuanhae.

Syrupus Mori.

R.

Mora recentia

contunde et calore circiter 20° saepius agitans tamdiu sepone, quoad exemplum defiltratum cum *dimidio volumine* Spiritus sine turbatione possit misceri. Tum exprime et sucum paratum filtra. E suci limpidi *partibus triginta quinque*.. 35.

ope

Sacchari *partium sexaginta quinque* .... 65.

syrupum para.

Sit limpidus, coloris saturate purpurei.

Syrupus Opii.

R.

Tincturae Opii *partem unam*......................... 1.

Syrupi simplicis *partes undequinquaginta* ..... 49.

Misce.

Quingentae partes huius Syrupi contineant partes solubiles *unius partes* Opii.

Sit Syrupus limpidus, subflavus, opium leviter redolens et resipiens.

○ Syrupus Rhei.

R.

Rhei concisi *partes decem* .... **10.**

Per unam noctem macera

Aquae *partibus triginta* .... **30.**

Cola et residuum per sex horas iterum macera

Aquae *partibus circiter quindecim* .... **15.**

Exprime et cola et in colatura ad partes *triginta quinque* redacta et filtrata solve

Sacchari *partes sexaginta quinque* .... **65.**

Centum partes huius Syrupi contineant partes solubiles *decem partium* Rhei.

Sit liquor limpidus, e fusco flavus.

Syrupus Sarsaparillae compositus.

R.

Sarsaparillae concisae *partes viginti* .... **20.**

Guajaci raspati *partes sedecim* .... **16.**

Sassafras concisi *partes sedecim* .... 16.

Cinchonae contusi *partes decem* .... 10.

Foeniculi contusi *partes tres* .... 3.

Aquae fervidae *partibus ducentis quinquaginta* .... 250.

superfusas per sex horas digestioni leni expone, deinde exprime. Colaturam filtratam commisce cum

Glycerini *partibus triginta* .... 30.

Deinde in balneo aquae evapora, ut residuum restet *partium nonaginta* .... 90.

quo solvas

Sacchari *partes centum decem* .... 110.

Sit Syrupus limpidus, fuscus.

Syrupus Senegae.

R.

Senegae concisae *partes quinque* .... 5.

Superfunde

Aquae *partes quadraginta quinque* .... 45.

et

Spiritus *partes quinque* .... 5.

Per biduum macera, deinde exprime et filtra.

Liquoris filtrati *partibus quadraginta* .... 40.

solve

Sacchari *partes sexaginta* .... 60.

ut fiat syrupus.

Sit limpidus, subflavus.

Syrupus Sennae.

R.

Sennae concisae *partes decem* .... **10.**

Per sex horas digere cum

Aquae fervidae *partibus quadraginta* .... **40.**

Exprime et cola. Colaturae sedimentando depuratae *partibus triginta quinque* .... **35.**

solve

Sacchari *partes sexaginta quinque* .... **65.**

ut fiat syrupus.

Sit fuscus, limpidus.

Syrupus simplex.

Syrupus Sacchari.

R.

Sacchari *partes sexaginta quinque* .... **65.**

solve

Aquae destillatae fervidae *partibus triginta quinque* .... **35.**

ut fiat syrupus.

Sit limpidus, coloris et odoris expers.

Syrupus tolutanus.

R.

Balsami tolutani *partes quattuor* .... **4.**
Sacchari *partes sexaginta quinque* .... **65.**
Aquae *partes triginta quinque* .... **35.**

Misce et in vase tecto calore 80° vel 90° non superante per duas horas digere. Refrigeratione peracta cola.

Sit Syrupus subflavus, aromaticus.

Syrupus Zingiberis.

R.

Tincturae Zingiberis *partes decem* .... **10.**
Syrupi simplicis *partes nonaginta* .... **90.**

Misce.

Sit Syrupus paulum turbidus, subflavus.

Tamarindus.

Tamarindus indica *Linn.*

Pulpa tenax, e nigro fusca, cui admixta sunt perpauca semina dura, coloris castaneae similis, fasciculi vasorum fibrati, loculamenta seminum pergamena, fragmenta pericarpii.

Sit odoris lenis, peculiaris, saporis valde acidi. Si

laminam ferream, nitidam pulpae pauca Aqua mollitae imposueris, inquinatis cupro effecta ne appareat.

Pulpa mucida sive fermentata reicienda est.

Taraxacum.

Taraxacum officinale *Wigg.*

Planta cum radice tempore verno ante anthesin, collecta et siccata. Folia sunt radicalia, runcinata. Radix *1* vel *2 dm* longa, ½ vel *2½ cm* crassa, fusca, per longitudinem sulcata est. In sectura transversa lignum praebet subflavum, porosum, cortice lato circumdatum, in quo crebra vasa lactifera, in annulos concentricos disposita inveniuntur.

Terebinthina.

Variae **Abiëtineae** praecipue generis **Pini.**

Oleo-resina, lente liquida, coloris subflavi, odoris peculiaris, saporis amari, in qua saepe sedimentum crystallinum invenitur, quod calore limpide solvitur.

Cum *quincuplici copia* Spiritus solutionem limpidam efficiat, quae Chartam exploratoriam caeruleam, humectatum rubefaciat.

Thymol.

Crystalli magni, coloris expertes, pellucidi, odoris et saporis aromatici, calore prope 50° liquescentes, calore 230° ebullientes, calore balnei aquae avolantes. In aquam immersi pessum eunt, sed postea liquefacti innant ut liquor coloris expers, oleosus. Aqua vix, facillime autem Spiritu, Aethere, Chloroformo, Acido acetico glaciali solvitur.

Solutio aquosa, saturata neutralis sit et Bromi vaporibus exposita turbationem praebeat lacteam; Ferri Perchlorido ne coloretur.

Si fragmentum crystallinum *uno* circiter *cm³* Acidi acetici glacialis solveris et *5 guttas* Acidi sulphurici addideris, liquor coloris expers *nonnullis guttis* Acidi nitrici caute submersis colorem trahat intense, caeruleum.

Caute servetur.

Tinctura acida aromatica.

℞.

Acidi sulphurici *partes decem*.................... 10.

Spiritus diluti *partes nonaginta*.................. 90.

Acidum sulphuricum agitans lente cum Spiritu commisce. Cum hac mixtura per quinque dies macera

Cinnamomi crasse pulverati *partes quinque*... 5.

Zingiberis crasse pulverati *partes quinque* .... 5.

Filtra.

Sit liquor limpidus, e fusco ruber.

Tinctura Aloës.

R.

Aloës crasse pulveratae *partem unam* .... 1.

Spiritus *partes quinque* .... 5.

Macera, quoad solutio facta sit.

Sit liquor saturate fuscus, saporis peramari.

Tinctura Aloës composita.

R.

Tincturae Aloës *partem unam*...................... 1.

Tincturae Myrrhae *partem unam*................... 1.

Tincturae Croci *partem unam* .... 1.

Misce.

Sit liquor saturate e rubro fuscus.

Tinctura amara.

R.

Corticis Aurantii concisi *partes quinque*........ 5.

Gentianae concisae *partes quinque*................ 5.

Calami concisi *partes duas* .... 2.

Spiritus diluti *partes centum* .... 100.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e flavo fuscus.

Tinctura Arnicae.

℞.

Florum Arnicae concisorum *partem unam* .... **1.**

Spiritus diluti *partes decem* .... **10.**

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e fusco flavus.

Tinctura aromatica.

℞.

Caryophyllorum *partes duas* .... **2.**

Cinnamomi crasse pulverati *partes decem* .... **10.**

Cardamomi *partes duas* .... **2.**

Zingiberis concisi *partes quinque* .... **5.**

Spiritus diluti *partes centum* .... **100.**

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e rubro fuscus.

Tinctura Asae foetidae.

℞.

Asae foetidae crasse pulveratae *partem unam* ... **1.**

Spiritus *partes quinque* .... **5.**

Per quinque dies macera, deinde filtra.

Sit liquor limpidus, e subflavo fuscus vel ruber.

Tinctura Aurantii.

R.

Corticis Aurantii concisi *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes quinque* .... 5.

Per quinque dies macera, deinde filtra.

Sit liquor limpidus, subfuscus.

Tinctura Belladonnae.

R.

Belladonnae contusae et recenter siccatae *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes quinque* .... 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subfusco viridis.

Caute servetur.

Tinctura Benzoës.

R.

Benzoës crasse pulveratae *partem unam* .... 1.

Spiritus *partes quinque* .... 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subflavo ruber vel fuscus.

Tinctura Cantharidis.

℞.

Cantharidum crasse pulveratarum *partem unam* .... 1.

Spiritus *partes decem* .... 10.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e flavo fuscus.

Caute servetur.

Tinctura Cascarillae.

℞.

Cascarillae pulveratae *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes quinque* .... 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e rubro fuscus.

Tinctura Catechu.

℞.

Catechu pulverati *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes quinque* .... 5.

Per quinque dies macera, deinde filtra.

Sit liquor limpidus, saturate fuscus.

Tinctura Cinchonae.

R.

Cinchonae pulveratae *partem unam* .... 1.

Spiritus *partes quinque* .... 5.

Per decem dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e rubro fuscus.

Tinctura Cinnamomi.

R.

Cinnamomi crasse pulveratae *partem unam*... 1.

Spiritus diluti *partes quinque*...................... 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e rubro fuscus.

Tinctura Colchici.

R.

Seminum Colchici crasse pulveratorum *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes decem* .... 10.

Per decem dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, flavus.

Caute servetur.

Tinctura Colocynthidis.

R.

Colocynthidis a seminibus liberatae et concisae *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes decem*........................ 10.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, flavus.

Caute servetur.

Tinctura Croci.

R.

Croci concisi *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes decem*........................ 10.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, saturate ex aurantiaco flavus.

Tinctura Digitalis.

R.

Digitalis contusae et recenter siccatae *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes decem*........................ 10.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subfusco viridis.

Caute servetur.

Tinctura Eucalypti.

℞.

Eucalypti contusae et recenter siccatae *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes quinque* .... 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subfusco viridis.

Tinctura Ferri aetherea.

Tinctura nervina Bestucheffii.

℞.

Liquoris Ferri Perchloridi *partem unam*....... 1.

Aetheris *partes duas*.................................. 2.

Spiritus *partes septem*................................ 7.

Misce et in lagoenis cylindricis, ex vitro albo paratis, bene clausis tamdiu solis radiis expone, quoad color e flavo fuscus perfecte evanuerit. Tum lagoenam nonnunquam aperiens loco opaco sepone, quoad mixtura denuo colorem pallide flavum traxerit.

Sit liquor limpidus, pallide flavus, pond. spec. 0.850–0.855, pro *centum partibus unam partem* Ferri continens.

10 cm^3 huius Tincturae cum *10* cm^3 Solutionis Kalii Acetatis commixta, deinde seposita excernant *3* cm^3 Liquoris aetherei.

Tinctura Gallae.

R.

Gallarum crasse pulveratarum *partem unam*... 1.

Spiritus diluti *partes quinque*........................ 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e flavo subfuscus.

○ Tinctura Gentianae.

R.

Gentianae concisae *partem unam*.................. 1.

Spiritus diluti *partes quinque* .... 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subflavo ruber vel fuscus.

Tinctura Guajaci.

R.

Resinae Guajaci crasse pulveratae *partem unam* .... 1.

Spiritus *partes quinque*................................. 5.

Per quinque dies macera, deinde filtra.

Sit liquor limpidus, saturate e rubro fuscus.

Tinctura Jalapae.

R.

Radicis Jalapae *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes decem* .... 10.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, subfuscus.

○ Tinctura Iodi.

R.

Iodi *partem unam* .... 1.

Spiritus *partes decem* .... 10.

In vase, quod epistomio vitreo claudatur macera, quoad solutio facta sit.

Sit liquor limpidus, saturate e rubro fuscus, iodum redolens, in calore perfecte avolans, pond. spec. 0.895–0.90.

2 gr. huius solutionis cum *0.5 gr.* Kalii Iodidi et *25* cm^3 Aquae commixta requirant *13.5–14.5* cm^3 Liquoris decinormalis Natrii Thiosulphatis, ut decolorentur.

In vasis, quae epistomiis vitreis claudantur, **caute** servetur.

○ Tinctura Ipecacuanhae.

R.

Ipecacuanhae pulveratae *partem unam*......... **1.**

Spiritus diluti *partes decem*........................ **10.**

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e rutilo fuscus.

Caute servetur.

Tinctura Lavandulae composita.

R.

Cinnamomi contusi *partes viginti*............... **20.**

Myristicae contusae *partes decem* .... **10.**

Caryophyllorum contusorum *partes quattuor*.. **4.**

Santali pulverati *partes decem*.................... **10.**

Spiritus *partes septingentas*........................ **700.**

Aquae *partes trecentas*.............................. **300.**

Per quinque dies macera, deinde exprime et in liquore expresso solve

Olei Lavandulae *partes octo* .... **8.**

Olei Rosmarini *partes duas* .... **2.**

Tum filtra.

Sit liquor limpidus, saturate ruber, odoris suaviter aromatici.

Tinctura Lobeliae.

R.

Lobeliae contusae *partem unam* .... 1.

Spiritus diluti *partes decem* .... 10.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subfusco viridis.

Caute servetur.

Tinctura Myrrhae.

R.

Myrrhae subtiliter pulveratae *partem unam*... 1.

Spiritus *partes quinque*.................................. 5.

Per quinque dies macera, deinde filtra.

Sit liquor limpidus, e subfusco ruber vel flavus, qui Aqua addita turbationem lacteam praebeat.

Tinctura Opii.

R.

Opii pulverati *partem unam* .... 1.

Spiritus *partes quinque*................................. 5.

Aquae *partes quinque* .... 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e rubro fuscus. *Decem partes* contineant partes solubiles *unius partis* Opii pulverati.

Caute servetur.

Tinctura Opii benzoica.

R.

Opii pulverati *partem unam* .... 1.
Acidi Benzoici *partes quattuor*..................... 4.
Camphorae *partes duas* .... 2.
Olei Foeniculi *partem unam* .... 1.
Spiritus diluti *partes centum nonaginta duas.* **192.**

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subfusco subflavus. *Ducentae partes* contineant partes solubiles *unius partis* Opii pulverati.

Caute servetur.

Tinctura Pomi ferrata.

R.

Extracti Pomi ferrati *partem unam*.............. 1.

Solve in mixtura compositae

Spiritus *partibus duabus*............................ 2.
Aquae Cinnamomi *partibus septem*................ 7.

et filtra.

Sit liquor limpidus, saturate e fusco niger.

Tinctura Quassiae.

℞.

Quassiae subtiliter concisae *partem unam* ..... 1.
Spiritus diluti *partes quinque* .... 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subfusco subflavus.

Tinctura Rhei.

℞.

Rhei crasse pulverati *partes decem* .... 10.
Cinnamomi crasse pulverati *partem unam* ..... 1.
Cardamomii contusi *partem unam* .... 1.
Spiritus *partes quinquaginta* .... 50.
Aquae *partes quinquaginta* .... 50.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subfusco flavus.

Tinctura Strychni.

Tinctura Nucis vomicae.

℞.

Strychni Seminis pulverati *partem unam* ...... 1.
Spiritus diluti *partes decem* .... 10.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, flavus.

Caute servetur.

Tinctura Valerianae.

R.

Valerianae subtiliter concisae *partem unam*...1.

Spiritus diluti *partes quinque*........................ 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subflavo fuscus.

Tinctura Zingiberis.

R.

Zingiberis crasse pulverati *partem unam* ...... 1.

Spiritus diluti *partes quinque*........................ 5.

Per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit liquor limpidus, e subflavo fuscus.

Tragacantha.

Variae species generis **Astragali** in Asia minore et anteriore crescentes.

Mucilago concreta trunculorum, in taeniis vel lamellis curvate striatis, falcatis veniens.

Massam formet tenacem, corneam, semidiaphanam, albam, difficilem pulveratu, quae in Aqua magnopere intumescat. Pulverata cum *50 partibus* Aquae mucilaginem praebeat turbidum, saporis insipidi.

Trochsci Acidi tannici.

R.

Acidi tannici *partes quinque* .... 5.
Sacchari in pulverem subtirem contriti *partes nonaginta quinque*.................................. 95.

Exacte commixtas tanto Spiritus diluti humecta, ut fiat massa, quae comprimendo contineatur.

Ex hac trochiscos forma, quorum singuli *unum gramma* valeant et *0.05 gr.* Acidi tannici contineant.

Trochisci Ferri Lactatis.

R.

Ferri Lactatis *partes quinque* .... 5.
Sacchari in pulverem subtilem contriti *partes nonaginta quinque* .... 95.

Exacte commixtas tanto Spiritus diluti humecta, ut fiat massa, quae comprimendo contineatur.

Ex hac trochiscos forma, quorum singuli *unum gramma* valeant et *0.05 gr.* Ferri Lactatis contineant.

Trochisci Ipecacuanhae.

R.

Pulvis Ipecacuanhae *partem unam*............... 1.
Sacchari in pulverem subtilem contriti *partes nonaginta novem*.................................. 99.

Exacte commixtas tanto Spiritus diluti humecta, ut fiat massa, quae comprimendo contineatur.

Ex hac trochiscos forma, quorum singuli *unum gramma* valeant et *0.01 gr.* pulveris Ipecuanhae contineant.

Trochisci Kalii Chloratis.

R.

Kalii Chloratis in pulverem subtilem redacti *partes decem* .... 10.
Sacchari in pulverem subtilem redacti *partes nonaginta* .... 99.

Exacte et cautissime commixtas tanto Spiritus diluti humecta, ut fiat massa, quae comprimendo contineatur.

Ex hac trochiscos forma, quorum singuli *unum gramma* valeant et *0.1 gr.* Kalii Chloratis continenant.

Trochisci Natrii Bicarbonatis.

R.

Natrii Bicarbonatis in pulverem subtilem redacti *partes decem*............................ **10.**

Sacchari in pulverem subtilem redacti *partes nonaginta*.. **90.**

Exacte commixtas tanto Spiritus diluti humecta, ut fiat massa, quae comprimendo contineatur.

Ex hac trochiscos forma, quorum singuli *unum gramma* valeant et *0.1 gr.* Natrii Bicarbonatis contineant.

Trochisci Santonini.

R.

Santnini in pulverem subtilem contriti *partes quinque*.. **5.**

Sacchari in pulverem subtilem contriti *partes nonaginta quinque*................................ **95.**

Exacte commixtas tanto Spiritus diluti humecta, ut fiat massa, quae comprimendo contineatur.

Ex hac trochiscos forma, quorum singuli *unum gramma* valeant et *0.05 gr.* Santonini contineant.

Caute servetur.

Unguentum Belladonnae.

R.

Extracti Belladonnae *partem unam* .... 1.

Cum paulo Aquae contere, quoad extractum tenue factum sit.

Tum admisce

Adipis *partes novem*.................................. 9.

Ad dispensandum tantummodo paretur.

Unguentum Cantharidis.

R.

Catharidis contusae *partes duas* .... 2.

Per octo horas in balneo aquae digere cum

Olei Olivae *partibus octo* .... 8.

Cola et exprime et filtrati *partes septenas*................. 7.

commisce cum

Cerae flavae liquefactae *partibus ternis*......... 3.

Mixturam agita, quoad refrigerata sit.

Sit unguentum flavum.

Uugentum diachylon.

R.

Emplastri Plumbi *partem unam* .... 1.

Olei Lini *partem unam* .... 1.

In vas porcellaneum immissas balneo aquae liquefac et mixturam agita, quoad refrigerata sit.

Ad dispensandum tantummodo paretur.

Unguentum Glycerini.

R.

Amyli *partem unam*.. 1.

Aquae *partem unam*.. 1.

Glycerini *partes novem*.................................... 9.

Amylum cum Aqua contritum et cum Glycerino commixtum assidue agitans calore 140° non superante calefac, quoad massa fere diaphana, aequabilis et post refrigerationem unguento similis facta sit.

○ Unguentum Hydrargyri.

R.

Adipis *partes quindecim* .... 15.

Cerae flavae *partes quinque* .... 5.

Hydrargyri *partes decem* .... 10.

Adipem et Ceram calore modico liquefaciens commisce mixturae perfecte refrigeratae *partes tres* cum Hydrargyro ita contere, ut singulas hnius portiones parvas tantummodo addas, quoad nudo oculo jam nulli globuli metallici conspiciantur. Hanc mixturam cum reliquis partibus

mixturae adiposae exactissime commisce.

Sit unguentum e subcaeruleo griseum, in quo nudus oculus nullos Hydrargyri globulos conspiciat.

Tertia ponderis pars ex Hydrargyro constat.

Unguentum Hydrargyri Oxydi flavi.

R.

Hydrargyri Oxydi flavi *partem unam*............ **1.**

Exactissime contere cum

Vaselini *partibus novem*............................ **9.**

paulatim addendis.

Ad dispensandum tantummodo paretur.

Unguentum Hydrargyri Oxydi rubri.

R.

Hydrargyri Oxydi rubri *partem uunm*.......... **1.**

Exactissime contere cum

Vaselini *partibus novem*............................ **9.**

paulatim addendis.

Ad dispensandum tantummodo paretur.

Unguentum Kalii Iodidi.

℞.

Kalii Iodidi *partes viginti* .... 20.

Kalii Carbonatis *partem unam* .... 1.

Accurate contere cum

Aquae destillatae *partibus decem* .... 10.

Tum exacte admisce

Vaselini *partes centum septuaginta* .... 170.

Ad dispensandum tantummodo paretur.

Unguentum Plumbi Subacetatis.

℞.

Adipis *partes nonaginta duas* .... 92.

Exacte admisce

Liquoris Plumbi Subacetatis *partes octo* ...... 8.

Sit unguentum album.

Pro brevi tempore modo provideatur.

○ Unguentum simplex.

℞.

Cerae flavae *partem unam* .... 1.

Olei Olivae *partes duas* .... 2.

in balneo aquae liquefactas agita, quoad refrigeratae sint.

Sit unguentum flavum.

Unguentum stibiatum.

℞.

Stibii et Kalii Tartratis in pulverem subtilissimum redacti *partes duas* .... 2.

Vaselini *partes octo* .... 8.

Exacte misce.

Ad dispensandum tantummodo paretur.

Unguentum Sulphuris.

℞.

Sulphuris sublimati *partem unam* .... 1.

Adipis *partes duas* .... 2.

Sulphur cum Adipe paulatim addendo exacte contere, quoad unguentum aequabile factum sit.

Sit unguentum coloris citrini.

Unguentum Zinci Oxydi.

℞.

Zinci Oxydi *partem unam* .... 1.

In pulverem subtilem redactae paulatim admisce

Adipis *partes novem* .... 9.

Sit unguentum album, aequabile.

Uva Ursi.

Arctostaphylos Uva Ursi *Spreng.*

Folia coriacea, non supra *2 cm* longa, obovata, integerrima, glabra, utrimque nitida et reticulato-venosa, breviter petiolata, saporis subamari, adstringentis.

Valeriana.

Valeriana officinalis *Linn.*

Rhizoma crebris radicibus longis, non supra *2 mm* crassis, fuscis obsitum, ad *2 cm* crassum, *4 cm* longum. In radicis sectura transversa cylindrus ligneus, tenuis, cortice multo latiore, albido circumdatus apparet.

Odor fortis et peculiaris, sapor subamarus et aromaticus est.

Vaselinum.

Massa alba vel pallide flavescens, semidiaphana, unguenti spissitudine, calore circiter 40° in liquorem perfecte limpidum, reactionis neutrius liquescens, pond. spec. prope 0.85, quae Aqua haudquaquam, Spiritu frigido vix, Aethere autem aut Chloroformo aut Carbonei Sulphido aut Oleo Terebinthinae aut oleis pinguibus aethereisve facile solvitur. In lamina platinaa calefactum

32

avolet neve residuum fixum relinquat.

5 gr. Vaselini cum *25 gr.* Liquoris Natri caustici per dimidiam horam conquassando digesta liquorem praebeant, qui cum *pari volumine* Aquae commixtus, deinde perfecte refrigeratus et filtratus et Acido sulphurico diluto supersaturatus neque praecipitetur neque massam oleaceam excernat.

Veratrinum.

Pulvis albus, mollis, qui excitatus sternutationes fortes movet. In Aqua ebulliente paulum tantummodo solvatur neve liquescat, ipsius Aquae saporem acrem, non amarum, reactionem leviter alkalinam reddat. Spiritus *partibus 4* aut Chloroformi *partibus 2* aut Aetheris *partibus* circiter *6* in liquores reactionis alkalinae, acidis dilutis facile solvatur. Calefactum liquescat et carbonescat et deflagret residuum fixum non relinquens.

Cum Acido hydrochlorico coctum solutionem praebeat coloris sanguinei. Cum Acidi sulphurici *partibus* circiter *100* contritum fluorescentiam praebeat e subviridi flavam, postea colorem rubrum.

Cautissime servetur.

Vinum amarum.

R.

Extracti Gentianae *partem unam* .... 1.

Extracti Cascarillae *partem unam*................ 1.

Contere cum

Vini Xerensis *partibus nonaginta* .... 90.

Adde

Tincturae Aurantii *partes octo*.................... 8.

Filtra.

Sit Liquor limpidus, saturate fuscus.

Vinum Cinchonae.

R.

Cinchonae pulveratae *partes decem* .... 10.

Vini Xerensis *partes octoginta* .... 80.

Glycerini *partes viginti* .... 20.

Per viginti dies macera, deinde filtra.

Sit Liquor limpidus, e fusco ruber.

○ Vinum Colchici.

R.

Seminis Colchici crasse pulverati *partem unam*. 1.

Vini Xerensis *partes decem*........................ 10.

Per decem dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit Liquor limpidus, e flavo fuscus.

Caute servetur.

Vinum Ferri.

R.

Ferri et Ammonii Citratis *partes duas*........... 2.

Solve

Vini albi *partibus nonaginta octo* .... 98.

Filtra.

Sit Liquor limpidus, e flavo fuscus.

Vinum Ipecacuanhae.

R.

Ipecacuanhae pulveratae *partem unam*......... 1.

Vini Xerensis *partes decem* .... 10.

Per decem dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit Liquor limpidus, e flavo subfuscus.

Caute servetur.

○ Vinum Opii crocatum.

Laudanum liquidum Sydenhami.

R.

Croci concisi *partes quattuor* .... **4.**

Cinnamomi crasse pulverati *partem unam* .... **1.**

Caryophyllorum crasse pulveratorum *partem unam* .... **1.**

Spiritus diluti *partes septem* .... **7.**

Vini Xerensis *partes octoginta quinque* .... **85.**

Per quinque dies macera, deinde exprime. Tum recipe

Liquoris colati *partes decem*................................. **10.**

Opii pulverati *partem unam* .... **1.**

Denuo per quinque dies macera, deinde exprime et filtra.

Sit Liquor limpidus, coloris saturate e croceo fusci.

Decem partes huius Vini contineant partes solubiles *unius partis* Opii pulverati.

Caute servetur.

Vinum Pepsini.

R.

Pepsini saccharati *partes centum* .... **100.**

Glycerini *partes quinquaginta* .... **50.**

Aquae *partes quinquaginta* .... **50.**

in pultem tenuem contritas et commixtas cum

Acidi hydrochlorici *partibus quinque* .... **5.**

et

Vini albi *partibus mille octingentis* .... **1800.**

Mixturam per quinque dies saepius agitans sepone, deinde filtra.

Sit Liquor limpidus, subflavus.

Vinum stibiatum.

Vinum Stibii et Kalii Tartratis.

R.

Stibii et Kalii Tartratis *partem unam*........... **1.**

Solve in

Vini Xerensis *partibus ducentis quinquaginta.* **250.**

Solutionem per triduum loco modice calido sepositam filtra.

Sit Liquor limpidus, e subfusco flavus.

Caute servetur.

○ Zinci Chloridum.

Bacilli albi, aëre humido diffluentes; calefacti liquescant et avolent residuum flavum relinquentes.

Solutio aquosa (1 : 2), etiamsi *triplex volumen* Spiritus admiscueris, aut limpida sit aut parvam tantummodo turbationem exhibeat, quae *una gutta* Acidi hydrochlorici addita evanescat.

Solutio aquosa cum paulo Acidi hydrochlorici commixta

neve Acido sulphydrico mutetur neve Baryi Nitrate praecipitetur; Aqua Ammoniae excedente addita solutionem praebeat limpidam, coloris expertem, quae Acido sulphydrico saturata praecipitatum efficiat album et filtratum, quod evaporatum et ignitum, si quid omnino, vestigia tantummodo residui fixi relinquat.

Caute in vasis bene clausis servetur.

Zinci Oxydum.

Pulvis amorphus, albus vel levissime flavescens, Aqua non solubilis, in aëre persistens, odoris et saporis expers, qui ignitus colorem flavum trahat et cum Aqua conquassatus filtratum praebeat, quod Baryi aut Argenti Nitrate, si omnino, opalescens tantummodo turbetur.

Aqua humectatus Acido hydrochlorico diluto sine effervescentia perfecte solvatur. Haec solutio Acido sulphydrico ne mutetur; cum Aqua Ammoniae excedente solutionem praebeat limpidam, coloris expertem, quae Acido sulphydrico saturata praecipitatum efficiat album et filtratum, quod neque Ammonii Oxalate aut Natrii Phosphate turbetur neque evaporatum et ignitum residuum fixum relinquat.

Caute servetur.

○ Zinci Sulphas.

Crystalli coloris et odoris expertes, aëre sicco lente fatiscentis, Aquae *partibus 0.6* solubiles, Spiritu non solubiles.

Solutio aquosa reactionem praebeat acidam; saporis sit foedi, salsi, metallici; Argenti Nitrate ne turbetur.

Solutio aquosa (1 : 20) cum paulo Acidi hydrochlorici commixta Baryi Nitrate addito praecipitatum praebeat album, Acido sulphydrico ne mutetur, cum Aqua Ammoniae excedente solutionem praebeat limpidam, coloris expertem, quae neque Ammonii Oxalate neque Natrii Phosphate turbetur. Solutio ammoniacalis Acido sulphydrico saturata praecipitatum praebeat pure album et filtratum, quod evaporatum et ignitum nihil residui fixi relinquat.

Solutio aquosa Liquore Natri caustici addito praecipitatum praebeat album, Liquore Natri caustici excedente perfecte solubile. Haec solutio calefacta ne Aquam Ammoniae evolvat.

Caute servetur.

Zingiber.

Zingiber officinale *Roscoe.*

Rhizoma firmum, grave, ramis brevibus et distichis et strato suberis grisco insigne. Fractura granulosa et

farinosa est. Telae griseae inspersa multa receptacula oleifera inveniuntur. In sectura transversa cylindrus ligneus, latissimus, cortice non supra *1 mm* lato circumdatus apparet. Odor peculiariter aromaticus, sapor urens et aromaticus est.

In mercatura in discos longitudinales dissectum venit.

Regulae generales, quae in medicamentis praeparandis, examinandis, servandis adhibendae sunt, nisi aliter praescriptum est.

Aquae medicatae. Odorem et saporem exhibeant volatilibus partibus earum materiarum proprium, ex quibus paratae sunt. Neve mucilagine aut colore insignes sint neve metalla gravia, ut cuprum aut stannum, soluta contineant.

Cum dispensantur, filtrando ab oleis aethereis non solutis, si quae inveniantur, liberandae sunt.

Emplastra. Partes, ex quibus Emplastra componuntur, accuratissime miscendae sunt. Omnia Emplastra chartis sive ceratis sive paraffinatis sive pergamenis involvenda, ea, quae materias volatiles continent, praeterea in pyxidibus ferreis servanda sunt.

Extracta. Materiae, ex quibus Extracta parantur, minute et aequabiliter concidendae aut contundendae, deinde cum macerantur aut digeruntur, saepius agitandae sunt. Liquores ita parati, deinde colati in balneo aquae ad *tertiam voluminis partem* evaporentur, tum loco frigido per nonnullos dies sepositi a sedimento liberentur, denique in balneo aquae constanter agitati ad justam consistentiam evaporentur.

Extracta spirituosa et aetherea desedimento decanthentur et filtrentur. Spiritus aetherisve adhibiti parte

maxima destillando recuperata liquor restans sine colatione ad justam consistentiam evaporetur. Liquores aetherei calore 50° non superante evaporentur.

Extracta odorem et saporem exhibeant earum plantae partium, ex quibus parata sunt, neve graviorum metallorum compositionibus inquinata sint.

Secundum consistentiam distinguuntur;

1. Extracta tenuia, spissitudine mellis recentis.
2. Extracta spissa, quae refrigerata jam non effundi, sed ope spatulae in fila distrahi possint.
3. Extracta sicca, quae in pulverem conteri possint.

Ut sicca fiant, Extracta in vasis porcellaneis evaporentur, quoad massa tenax et exemplum refrigeratum friabile sit. Tum omnia, dum calida sunt, ope spatulae e vase porcellaneo exempta et in strata tenuia distracta, deinde in lamina vitrea calore 40° ad 50° exsiccata, in pluverem subcrassum conterantur et in vase calefacto, bene claudendo ponantur.

Extracta spissa in vasis fictilibus vitratis sive porcellaneis, tenuia et sicca in vasis bene clausis, omnia loco frigido et sicco serventur.

Extractorum narcoticorum copiam parvam cum Saccharo Lactis pulverato hac ratione commixtam praesto esse licet. Extractum cum *pari copia* Sacchari Lactis commixtum calore 40° ad 50° exsiccetur, quoad pondus non amplius diminuatur, massa adhuc calida conteratur et cum tanto Sacchari Lactis commisceatur, ut mixtura valeat *duplex pondus* extracti adhibiti.

In hoc pulvere dispensando *duplum copiae* Extracti praescriptae recipiendum est.

Olea aetherea. Olea volatilia limpida sint et exacte redoleant eas materias, ex quibus parata sunt. Cavendum est, ne oleis pinguibus, Spiritu, alienis oleis aethereis, similibus inquinata sint neve vetustate mutata terebinthinam redoleant aut resinata sint aut reactionem acidam exhibeant. Paucis exceptis quavis proportione Spiritus solubilia sunt.

Loco frigido et obscuro in lagoenis quam maxime repletis servanda sunt.

Pilulae. Partes, ex quibus Pilulae componuntur, accuratissime miscendae sunt. Pilulae pari magnitudine insignes neve nimis siccae aut molles aut glutinosae sint. Ad massam pilularem formandam, nisi aliter praescriptum est, Extractum et Pulverem Glycyrrhizae adhibe; a Tragacantha et Pulvere Althaeae, si fieri potest, abstine Pilulas Pulvere Glycyrrhizae vel Lycopodio consperge.

Syrupi. Ita para, ut Sacchari optimi portionem praescriptam liquore adhibendo ad ebulliendum calefaciens solvas. Solutionem adhuc calidam per pannum laneum cola et in lagoenas bene siccas immitte. Loco frigido serva.

Syrupi neve sedimentum exhibeant neve fermentescant; praeter Syrupum Zingiberis omnes limpidi sint.

Tincturae. Ad Tincturas parandas materiae crasse pulveratae aut minute concisae liquore ad extrahendum adhibendo in vasis non prorsus repletis iisque bene clausis loco obscuro superfundantur. Dum macerantur, quotidie

compluries agitentur. Maceratione peracta liquor decanthetur et residuum, si opus est, exprimatur. Liquor per quinque dies sepositus loco obscuro ope filtri lamina vitrea tecti filtretur. Si qua pars liquoris inter parandum evaporando evanuerit, hanc supplere non licet.

Tincturae limpidae et a sedimento liberae sint.

In vasis bene clausis loco frigido neque nimis claro serventur.

Trochisci. Ad Trochiscos parandos materiae medicae, nisi aliter praescriptum est, cum Saccharo optimo, sicco, albo exacte misceantur. Mixturam depsens tanto Spiritus diluti humecta, ut fiat massa ad Trochiscos formandos idonea. Haec lege artis extenuata in necessarium numerum Trochiscorum redigatur, qui calore modico exsiccentur. Nisi aliter praescriptum est, tanta copia Sacchari adhibeatur, ut trochisci sicci circiter *singula grammata* valeant.

Commendandum est, in quoque Trochisco nomen et pondus medicamenti contenti notis idoneis imprimendis indicare.

Unguenta. Materiae ad Unguenta paranda adhibendae exacte misceantur, ut fiat massa aequabilis.

Unguentorum, ne rancida fiant, non nimis magnam copiam praesto habere commendandum est.

Eiusmodi Unguenta, quare cito destruantur, ad dispensandum tantummodo parae licet.

Vina. Vina similiter atque Tincturae parentur.

Vina adhibenda, et album et Xerense, sint naturalia,

ex Uvis parata qualitatis optimae, odoris saporisque neque acidi neque alieni.

Reagentia.

Solutiones aquosae Aqua destillata parandae sunt.

Acetum purum.

Acidum aceticum.

Acidum aceticum glaciale.

Acidum hydrochloricum.

Acidum hydrochloricum diutum.

Acidum iodicum.

Acidum nitricum.

Acidum nitricum dilutum.

Acidum nitricum fumans.

Acidum oxalicum. Acidum oxalicum, ex Aqua recrystallisatum, in aëre siccum, quod ignitum nihil residui relinquat.

Acidum sulphuricum.

Acidum sulphuricum dilutum.

Acidum sulphydricum. Gas Acidi sulphydrici elutum.

Acidum tannicum. Solutio aquosa *1* in *20*.

Acidum tartaricum.

Aether.

Aether Petrolei. Iis Petrolei partibus, quae facillime ebulliunt, rectificandis paratus, calore 50° perfecte avolans.

Ammonii Carbonas. Solutio *unam partem* Ammonii Carbonatis et *unam partem* Aquae Ammoniae et *tres partes* Aquae destillatae continens.

Ammonii Chloridum. Solutio aquosa *1* in *20*.

Ammonii Oxalas. Solutio aquosa *1* in *30*.

Ammonii Sulphas.

Ammonii Sulphidum. *Tres partes* Aquae Ammoniae Acido sulphydrico saturentur et cum *duabus partibus* Aquae Ammoniae commisceantur.

Anilinum. Anilinum venale, inter 182° et 185° destillans.

Aqua Ammoniae.

Aqua Ammoniae fortior.

Aqua Bromi. Solutio Bromi aquosa, saturata.

Aqua Chlori.

Aqua hydrosulphurata. Solutio Acidi sulphydrici puri aquosa, saturata.

Argenti Nitras. Solutio aquosa *1* in *30*.

Auri Chloridum. Solutio aquosa *1* in *30*.

Baryi Nitras. Solutio aquosa *1* in *20*.

Benzinum Petrolei.

Benzol. Partes olei levioris Picis liquidae Carbonum fossilium rectificando depuratae, inter 81° et 82° ebullientes.

Bismuti Subnitras.

Calcii Chloridum. Solutio aquosa *1* in *10*.

Calcii Hydroxydum. Pulvis subtilis Calce restincta recenter paratus.

Calcii Sulphas. Solutio aquosa, saturata.

Carbonei Sulphidum. Liquor coloris expers, calore 47° ebulliens et perfecte volatilis.

Charta exploratoria caerulea. Charta bibula alba Solutione Lakmus imbuta, deinde siccata.

Charta exploratoria rubra. Charta bibula, alba, Solutione Lakmus cum tanto Acidi phosphorici,

quantum ad colorem rutilum proferendum sufficiat, commixta imbuatur, deinde siccetur.

Charta Zinci Iodidi et Amyli. Charta bibula, alba, Solutione Zinci Iodidi et Amyli imbuta, deinde siccata.

Chloroformum.

Ferri Perchloridum. Solutio aquosa ex *una parte* Liquoris Ferri Perchloridi et *quattuor partibus* Aquae destillatae constans.

Ferri Sulphas.

Glycerinum.

Hydrargyri Perchloridum. Solutio aquosa *1* in *20.*

Iodum.

Kali causticum.

Kalii Acetas. Solutio aquosa *1* in *3*, pond. spec. prope 1.18.

Kalii Chromas. Solutio aquosa *1* in *10.*

Kalii Dichromas. Solutio aquosa *1* in *10.*

Kalii et Natrii Tartras. Solutio aquosa *1* in *10.*

Kalii Ferricyanidum. Solutio aquosa, recenter paranda.

Kalii Ferrocyanidum. Solutio aquosa *1* in *10.*

Kalii Iodidum.

Kalii Permanganas. Solutio aquosa *1* in *1000.*

Kalii Sulphocyanidum. Solutio aquosa *1* in *20.*

Liquor Calcis.

Liquor Kali caustici. Solutio *unius partis* Kali caustici, ab aluminis, acidi silicici et nitrogenii conjunctionibus liberi in *quinque partibus* Aquae destillatae. Ne plus quam parvam copiam carbonatis, chloridi, sulphatis contineat.

Liquor Natri caustici. Solutio *unius partis* Natri caustici, ab aluminis, acidi silicici et nitrogenii conjunctionibus liberi, in *quinque partibus* Aquae destillatae. Ne plus quam parvam copiam carbonatis, chloridi, sulphatis contineat.

Liquor Plumbi Subacetatis.

Magnesii Hydroxydum pultiforme. *Una pars* Magnesii Sulphatis *quinque partibus* Aquae destillatae solvatur. Haec solutio misceatur cum *duabus partibus* Liquoris Natri caustici; praecipitatum bene elutum Aqua destillata addenda ad *quattuor partes* augeatur. Filtratum Argenti Nitrate addito ne turbationem proferat.

Magnesii Sulphas. Solutio aquosa *1* in *10*.

Natrii Acetas. Solutio aquosa *1* in *5*.

Natrii Bicarbonas. Solutio aquosa, saturata.

Natrii Carbonas. Solutio aquosa *1* in *5*.

Natrii Chloridum.

Natrii Nitras.

Natrii Phosphas. Solutio aquosa *1* in *20*.

Natrii Sulphas.

Natrii Sulphis. Solutio aquosa *1* in *10* recenter paranda.

Natrii Thiosulphas. Solutio volumetrica.

Natrium metallicum. Sub petroleo servetur; ope chartae bibulae desiccatum, quisquiliis superficiei adhaerentibus resectis adhibeatur.

Platini Chloridum. Solutio aquosa *1* in *20*.

Plumbi Acetas. Solutio aquosa *1* in *10*.

Reagens Nessleri. *35 gr.* Kalii Iodidi et *13 gr.* Hydrargyri Perchloridi cum *800 cm³* Aquae fervefac, quoad solutio limpida facta sit, tum tantum Solutionis Hydrargyri Perchloridi frigore saturatae adde, quoad praecipitatum constans fieri incipiat, deinde *160 gr.* Kali caustici et *120 gr.* Natri caustici adde, ope Aquae destillatae ad *1 litrum* dilue, iterum parvam copiam Solutionis Hydrargyri Perchloridi adde; jam liquor limpide subsidat.

Solutio Amyli. Solutio aquosa, in fervore parata, diluta filtrata.

Solutio Argenti Nitratis ammoniacalis. Mixtura limpida, coloris expers, constans e *partibus voluminibus aequalibus* Solutionis Argenti Nitratis et Aquae Ammoniae.

Solutio Hydrargyri et Kalii Iodidi. *13.55 gr.* Hydrargyri Perchloridi et *50 gr.* Kalii Iodidi Aqua destillata ad *unum litrum* solvantur.

Solutio Iodi. Solutio *unius partis* Iodi et *duarum partium* Kalii Iodidi in *100 partibus* Aquae destillatae.

Solutio Lakmus. Ex *1 parte* Lakmus et *90 partibus* Aquae et *20 partibus* Spiritus paretur. Tinctura filtrata tanto Aquae diluatur, ut exemplum in tubulo probatorio prope pellucidum appareat.

Solutio Zinci Iodidi et Amyli. *0.4 partes* Amyli et *2 partes* Zinci Chloridi et *10 partes* Aquae destillatae coquantur, quoad solutio fere limpida facta sit. Tum addatur solutio *0.1 partis* Zinci Iodidi puri siccique in

100 cm³ Aquae destillatae. Sit Liquor coloris expers, paulum opalescens.

Spiritus.

Spiritus absolutus. Pro *centum partibus 98* ad *100 partes* Alcoholis contineat pond. spec. 0.784–0.800.

Spiritus dilutus.

Stanni Chloridum. Ab arseno perfecte liberum sit.

Stannum raspatum.

Zincum purum. Ab arseno perfecte liberum sit.

Liquoris volumetrici.

Liquor acidimetricus normalis.

Solutio aquosa Kali caustici, puri et ab acido carbonico liberi. *1.26 gr.* Acidi oxalici ope Aquae soluta requirant *20 cm^3* huius Liquoris, ut neutralisentur.

Liquor alkalimetricus normalis.

Acidum sulphuricum dilutum, pro *uno litro 49 gr.* Acidi sulphurici (H_2SO_4) continens.

25 cm^3 requirant *25 cm^3* Liquoris acidimetrici normalis, ut neutralisentur.

Liquor decinormalis Argenti Nitratis.

17 gr. Argenti Nitratis liquefacti ope Aquae destillatae soluta, ut fiat *1 litrum.*

10 cm^3 Liquoris decinormalis Natrii Chloridi *nonnullis guttis* Solutionis Kalii Chromatis additis requirant *10 cm^3* huius Liquoris, ut colorem trahant leviter rutilum, constantem.

Liquor decinormalis Iodi.

12.7 gr. Iodi et *20 gr.* Kalii Iodidi ope Aquae destillatae soluta, ut fiat *1 litrum.*

Liquor Hydrargyri Perchloridi volumetricus.

27.1 gr. Hydrargyri Perchloridi ope Aquae destillatae soluta, ut fiat *1 litrum.*

Liquor Kalii Permanganatis volumetricus.

1 gr. Kalii Permanganatis ope Aquae destillatae solutum, ut fiat *1 litrum.*

0.1 gr. Fili Ferri, purissimi tenuis, aëre excluso in Acido sulphurico diluto soluta requirant *56.2* cm^3 huius Liquoris, ut colorem trahant leviter rutilum.

Liquor decinormalis Natrii Chloridi.

5.84 gr. Natrii Chloridi, puri, igniti ope Aquae destillatae soluta, ut fiat *1 litrum.*

10 cm^3 huius Liquoris cum *nonnullis guttis* Solutionis Kalii Chromatis commixta requirant *10* cm^3 liquoris decinormalis Argenti Nitratis, ut colorem trahant leviter rutilum, constantem.

Liquor decinormalis Natrii Thiosulphatis.

24.8 gr. Natrii Thiosulphatis ope Aquae destillatae soluta, ut fiat *1 litrum.*

0.54 gr. Iodi in Solutione Kalii Iodidi soluta requirant *20* cm^3 huius Liquoris, ut decolorentur.

TABULA I.

Tabula eorum 100 medicamentorum, quae in omnibus officinis pharmaceuticis praesto esse debent.

Acidum arsenosum.
Acidum boricum.
Acidum carbolicum.
Acidum hydrochloricum.
Acidum nitricum.
Acidum salicylicum.
Acidum sulphuricum.
Acidum tannicum.
Acidum tartaricum.
Adeps.
Aether.
Aloë.
Althaea.
Alumen.
Ammonii Chloridum.
Antidotum Arseni.
Aqua.
Aqua Ammoniae.
Aqua Amygdalae amarae.
Aqua destillata.
Argenti Nitras fusus.
Atropini Sulphas.
Bismuti Subnitras.
Calx chlorata.
Camphora.
Cera flava.
Chinini Sulphas.
Chlorali Hydras.
Chloroformum.
Cinchona.

Cupri Sulphas.
Digitalis.
Emplastrum adhaesivum anglicum.
Emplastrum Cantharidis.
Emplastrum Resinae.
Extractum Belladonnae.
Extractum Ergotae.
Extractum Filicis.
Extractum Gentianae.
Extractum Hyoscyami.
Extractum Strychni.
Ferri Subcarbonas.
Ferri Sulphas.
Glycerinum.
Gummi arabicum.
Hirudo.
Hydrargyri Chloridum.
Hydrargyri Oxydum rubrum.
Hydrargyri Perchloridum.
Iodoformum.
Ipecacuanha.
Kalii Acetas.
Kalii Bromidum.
Kalii Chloras.
Kalii Iodidum.
Kalii Nitras.
Liquor Ammonii Acetatis.
Liquor Ferri Perchloridi.
Liquor Plumbi Subacetatis.
Magnesii Carbonas.
Magnesii Sulphas.
Morphini Hydrochloras.
Natrii Bicarbonas.
Natrii Salicylas.
Natrii Sulphas.
Oleum Jecoris.

Oleum Menthae.
Oleum Olivae.
Oleum Ricini.
Oleum Terebinthinae.
Opium.
Pilocarpini Hydrochloras.
Plumbi Acetas.
Pulvis Doveri.
Resina Jalapae.
Rheum.
Saccharum.
Saccharum Lactis.
Santoninum.
Sapo medicatus.
Senna.
Sinapis.
Spiritus.
Spiritus Aethyl Nitritis.
Spongia.
Stibii et Kalii Tartras.
Stibii Sulphidum aurantiacum.
Styrax liquidus.
Sulphur sublimatum.
Syrupus Ferri Iodidi.
Syrupus Rhei.
Tinctura Gentianae.
Tinctura Iodi.
Tinctnra Ipecacuanhae.
Unguentum Hydrargyri.
Unguentum simplex.
Vinum Colchici.
Vinum Opii crocatum.
Zinci Chloridum.
Zinci Sulphas.

TABULA II.

Ea medicamenta exhibens, quae in numero venenorum fortiorum habentur et locis clausis **cautissime** servanda sunt.

Acidum arsenosum.
Apomorphini Hydrochloras.
Arseni Iodidum.
Atropini Sulphas.
Extractum Physostigmatis.
Hydrargyri Oxydum flavum.
Hydrargyri Oxydum rubrum.
Hydrargyri Perchloridum.
Hydrargyri Perchloridum ammoniatum.
Hydrargyri Periodidum.
Liquor Arseni et Hydrargyri Iodidi.
Liquor Kalii Arsenitis.
Morphini Hydrochloras.
Morphini Sulphas.
Oleum Amygdalae aethereum.
Oleum Crotonis.
Phosphorus.
Physostigmini Salicylas.
Pilocarpini Hydrochloras.
Strychni Nitras.
Veratrinum.

TABULA III.

Medicamenta fortiora exhibens, quae locis separatis **caute** servanda sunt.

Acidum carbolicum.
Acidum carbolicum crudum.
Acidum chromicum.
Acidum hydrochloricum.
Acidum hydrochloricum crudum.
Acidum nitricum.
Acidum nitricum fumans.
Acidum sulphuricum.
Acidum sulphuricum crudum.
Amyl Nitris.
Aqua Ammoniae fortior.
Aqua Amygdalae amarae.
Argenti et Kalii Nitras.
Argenti Nitras.
Argenti Nitras fusus.
Belladonna.
Bromum.
Camphora monobromata.
Cannabis indica.
Cantharis.
Cerii Oxalas.
Chlorali Hydras.
Chloroformum.
Codeinum.
Coffeinum.
Colchicum.
Collodium cantharidatum.
Colocynthis.
Cupri Alumen.
Cupri Sulphas.

Digitalis.
Ergota.
Extractum Belladonnae.
Extractum Cannabis indicae.
Extractum Colocynthidis.
Extractum Ergotae.
Extractum Hyoscyami.
Extractum Opii.
Extractum Strychni.
Ferri Iodidum saccharatum.
Hydrargyri Chloridum.
Hydrargyri Iodidum.
Hyoscyamus.
Jaborandi.
Jalapa.
Iodoformum.
Iodum.
Ipecacuanha.
Kali causticum.
Kalii Iodidum.
Kreosotum.
Lactucarium.
Linimentum Belladonnae.
Liquor Guttaperchae.
Liquor Plumbi Subacetatis.
Lobelia.
Oleum Sinapis aethereum.
Opium.
Physostigma.
Pilulae Colocynthidis et Hyoscyami.
Pilulae Ferri Iodidi.
Plumbi Acetas.
Plumbi Carbonas.
Plumbi Oxydum.
Podophyllinum.
Pulvis Doveri.

Resina Jalapae.
Santoninum.
Sapo jalapinus.
Spiritus Chloroformi.
Stibii et Kalii Tartras.
Stibii Oxydum.
Stibii Sulphidum aurantiacum.
Strychni Semen.
Thymol.
Tinctura Belladonnae.
Tinctura Cantharidis.
Tinctura Colchici.
Tinctura Colocynthidis.
Tinctura Digitalis.
Tinctura Iodi.
Tinctura Ipecacuanhae.
Tinctura Lobeliae.
Tinctura Opii.
Tinctura Opii benzoica.
Tinctura Strychni.
Trochisci Santonini.
Vinum Colchici.
Vinum Ipecacuanhae.
Vinum Opii crocatum.
Vinum stibiatum.
Zinci Chloridum.
Zinci Oxydum.
Zinci Sulphas.

TABULA IV.

Doses medicamentorum maximas diurnas et singulares pro homine adulto exhibens, quas medico ad usum internum praescribenti non nisi signo ▽ addito transire licet.

	Dosis diurna (Grammata.)	Dosis singularis (Grammata.)
Acidum arsenosum	0.02	0.005
Acidum carbolicum	0.5	0.1
Apomorphini Hydrochloras	0.05	0.01
Aqua Amygdalae amarae	8.0	2.0
Argenti Nitras	0.2	0.03
Argenti Nitras fusus	0.2	0.03
Arseni Iodidum	0.05	0.02
Atropini Sulphas	0.003	0.001
Belladonna	0.6	0.2
Camphora monobromata	2.0	0.3
Cantharis	0.15	0.05
Cerii Oxalas	1.5	0.3
Chlorali Hydras	6.0	3.0
Codeinum	0.2	0.05
Coffeinum	0.6	0.2
Cupri Sulphas	0.4	0.1
Cupri Sulphas, ut vomicum in refracta dosi.	—	1.0
Digitalis	1.0	0.2
Ergota	5.0	1.0
Extractum Belladonnae	0.2	0.05
Extractum Cannabis Indicae	0.4	0.1

	Dosis diurna (Grammata.)	Dosis singularis (Grammata.)
Extractum Colocynthidis	0,2	0.05
Extractum Hyoscyami	1.0	0.2
Extractum Opii	0.5	0.15
Extractum Physostigmatis	0.05	0.02
Extractum Strychni	0.15	0.05
Hydrargyri Iodidum	0.2	0.05
Hydrargyri Oxydum flavum	0.1	0.03
Hydrargyri Oxydum rubrum	0.1	0.03
Hydrargyri Perchloridum	0.1	0.03
Hydrargyri Periodidum	0.1	0.03
Hyoscyamus	1.5	0.3
Jaborandi	8.0	1.5
Iodoformum	1.0	0 2
Iodum	0.2	0.05
Kreosotum	0.5	0.1
Lactucarium	1.0	0.3
Liquor Arseni et Hydrargyri Iodidi	1.5	0.3
Liquor Kalii Arsenitis	2.0	0.5
Lobelia	1.0	0.2
Morphini Hydrochloras	0.1	0,03
Morphini Sulphas	0.1	0.03
Oleum Amygdalae aethereum	0.2	0.05
Oleum Crotonis	0.1	0.05
Opium	0.5	0.15
Phosphorus	0.005	0.001
Physostigmini Salicylas	0.003	0.001
Pilocarpini Hydrochloras	0.06	0.03
Pilulae Colocynthidis et Hyoscyami	2.0	0.5
Plumbi Acetas	0.5	0.1
Podophyllinum	0.5	0.1

	Dosis diurna (Grammata.)	Dosis singularis (Grammata.)
Resina Jalapae	3.0	1.0
Santoninum	0.3	0.1
Stibii et Kalii Tartras	0.5	0.2
Stibii Sulphidum aurantiacum	1.0	0.2
Strychni Semen	0.2	0.1
Strychnini Nitras	0.02	0.01
Tinctura Belladonnae	4.0	1.0
Tinctura Cantharidis	1.5	0.5
Tinctura Colchici	6.0	2.0
Tinctura Colocynthidis	3.0	1.0
Tinctura Digitalis	5.0	1.5
Tinctura Iodi	1.0	0.2
Tinctura Lobeliae	5.0	1.0
Tinctura Opii	5.0	1.5
Tinctura Strychni	2.0	1.0
Veratrinum	0.02	0.005
Vinum Colchici	6.0	2.0
Vinum Opii crocatum	5.0	1.5
Zinci Sulphas	0.3	0.06
Zinci Sulphas, ut vomicum in refracta dosi.	—	1.0

TABULA V.

Fluctuationes ponderis specifici exhibens nonnullorum liquorum officinalium, quales efficiuntur calore inter 10° et 30° variante.

	15°	10°	11°	12°	13°	14°	15°	16°	17°	18°	19°	20°	21°	22°	23°	24°	25°	26°	27°	28°	29°	30°
Acidum aceticum	1.048	1.050	1.050	1.049	1.049	1.048	**1.048**	1.047	1.047	1.046	1.046	1.045	1.045	1.044	1.044	1.043	1.043	1.042	1.042	1.041	1.041	1.040
Acidum hydrochloricum	1.150	1.152	1.152	1.151	1.151	1.150	**1.150**	1.150	1.149	1.149	1.148	1.148	1.148	1.147	1.147	1.146	1.146	1.145	1.145	1.144	1.144	1.143
Acidum nitricum	1.317	1.322	1.320	1.320	1.318	1.318	**1.317**	1.316	1.315	1.314	1.313	1.311	1.310	1.309	1.307	1.306	1.305	1.303	1.302	1.301	1.299	1.297
Acidum phosphoricum	1.120	1.122	1.122	1.121	1.121	1.120	**1.120**	1.120	1.119	1.119	1.119	1.118	1.118	1.118	1.117	1.117	1.117	1.116	1.116	1.116	1.115	1.115
Acidum sulphuricum	1.838	1.843	1.842	1.841	1.840	1.839	**1.838**	1.837	1.836	1.835	1.834	1.833	1.832	1.830	1.829	1.828	1.827	1.826	1.825	1.824	1.822	1.821
Acidum sulphuricum dilutum	1.110–1.114	1.115	1.115	1.114	1.113	1.113	**1.112**	1.112	1.111	1.111	1.110	1.110	1.109	1.109	1.108	1.108	1.107	1.106	1.106	1.105	1.105	1.104
Aether	0.728	0.731	0.731	0.730	0.729	0.729	**0.728**	0.727	0.726	0.725	0.724	0.723	0.721	0.720	0.719	0.718	0.717					
Aqua Ammoniae	0.960	0.961	0.961	0.961	0.960	0.960	**0.960**	0.960	0.959	0.959	0.959	0.959	0.958	0.958	0.958	0.958	0.957	0.957	0.957	0.956	0.956	0.956
Chloroformum	1.485–1.490	1.496	1.494	1.492	1.490	1.489	**1.487**	1.485	1.483	1.481	1.479	1.477	1.475	1.473	1.472	1.470	1.469	1.468	1.466	1.464	1.463	1.461
Glycerinum	1.230–1.240	1.238	1.237	1.237	1.236	1.235	**1.235**	1.234	1.234	1.233	1.233	1.232	1.232	1.231	1.230	1.230	1.229	1.228	1.228	1.227	1.227	1.226
Liquor Ammonii Acetatis	1.033	1.034	1.034	1.034	1.034	1.033	**1.033**	1.033	1.033	1.032	1.032	1.032	1.032	1.031	1.031	1.031	1.031	1.030	1.030	1.030	1.030	1.029
Liquor Ferri Perchloridi	1.280–1.282	1.284	1.284	1.283	1.282	1.282	**1.281**	1.281	1.280	1.280	1.280	1.279	1.279	1.279	1.278	1.278	1.278	1.277	1.277	1.277	1.276	1.276
Liquor Ferri Persulphatis	1.428–1.430	1.432	1.432	1.431	1.430	1.430	**1.429**	1.428	1.428	1.427	1.426	1.426	1.425	1.424	1.424	1.423	1.422	1.421	1.421	1.420	1.420	1.419
Liquor Plumbi Subacetatis	1.235–1.240	1.240	1.240	1.239	1.239	1.238	**1.238**	1.238	1.237	1.237	1.236	1.236	1.236	1.235	1.235	1.234	1.234	1.233	1.233	1.232	1.232	1.231
Spiritus	0.830–0.834	0.835	0.835	0.834	0.834	0.833	**0.832**	0.831	0.830	0.830	0.829	0.828	0.827	0.826	0.826	0.825	0.824	0.823	0.822	0.822	0.821	0.820
Spiritus Aetheris	0.810	0.814	0.813	0.812	0.812	0.811	**0.810**	0.809	0.808	0.807	0.806	0.806	0.805	0.804	0.804	0.803	0.802					
Spiritus dilutus	0.892–0.896	0.897	0.897	0.896	0.896	0.895	**0.894**	0.893	0.893	0.892	0.891	0.890	0.889	0.888	0.887	0.887	0.886	0.885	0.884	0.883	0.883	0.882

TABULA VI.

Symbola chemica et pondera atomorum elementorum principalium exhibens.

	Littera.	Pondus atom.
Aluminium	Al	27.0
Argentum	Ag	108.0
Arsenum	As	75.0
Aurum	Au	196.0
Baryum	Ba	136.8
Bismutum	Bi	207.5
Borium	Bo	10.9
Bromum	Br	79.8
Cadmium	Cd	111.8
Calcium	Ca	40.0
Carboneum	C	12.0
Cerium	Ce	141.0
Chlorum	Cl	35.4
Chromum	Cr	52.2
Cobaltum	Co	58.6
Cuprum	Cu	63.2
Ferrum	Fe	55.9
Hydrargyrum	Hg	200.0
Hydrogenium	H	1.0
Iodum	I	126.6
Kalium	K	39.0
Lithium	Li	7.0
Magnesium	Mg	24.0

	Littera.	Pondus atom.
Manganum	Mn	54.5
Molybdaenium	Mo	96.0
Natrium	Na	23.0
Niccolum	Ni	58.6
Nitrogenium	N	14.0
Oxygenium	O	16.0
Phosphorus	P	31.0
Platinum	Pt	194.4
Plumbum	Pb	206.4
Selenium	Se	78.8
Silicium	Si	28.0
Stannum	Sn	117.5
Stibium	Sb	120.0
Sulphur	S	32.0
Tellurium	Te	127.7
Uranium	Ur	240.0
Vanadium	V	51.0
Wolframium	W	183.6
Zincum	Zn	64.9

INDEX NOMINUM.

B.

C.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

Printed by Insetsu Kyoku, Tokyo.

ERRATA.

Pag.	Lin.				
25	13	scrib.	hydrocyanici	loco	hydrocyanidi
32	4	„	hydrochlorico	„	hydrochlorido
56	9	„	sepositam	„	sepositum
61	24	„	alkalimetrici	„	alkalimetricae
63	1	„	Natri	„	Natrii
90	21	„	acidae	„	acide
155	23	„	Perchlorido	„	Chlorido
156	15	„	Perchlorido	„	Chlorido
161	25	„	si	„	s
164	13	„	aethereum	„	aetherum
175	12	„	○ Oleum Terebinthinae.	„	Oleum Terebinthinae.
199	20	„	Natrii	„	Natri
199	22	„	Natrii	„	Natri
202	18	„	cernua	„	ceraua
204	10	„	aethereum	„	aetherem
233	9	„	Bestuscheffii	„	Bestucheffii
285	22	„	Extractum	„	Extraetun
286	1	„	Extractum	„	Extraetum
291	30	„	Bestuscheffii	„	Bestucheffii